



1744
D. CHRIST. LVDOV. SCHEIDII

S. R. M. CONSIL. IVSTIT. ET PROF. PVBL. ORDIN.
IN ACADEMIA HAFNIENSI

COMMENTATIO

DE

1744, 2
60
RATIONE BELLII

SEV VT A GALLIS DICI SOLET

RAISON DE GUERRE

EX IVRE ET MORIBVS

GENTIVM.



FRANCOFVRTI ET LIPSIAE

APVD FRIDER. DANIEL. KNOCHII VIDVAM

ET IO. GEORGIUM ESSLINGER.

M DCC XXXIX.

513

D. CHRIST. LAVOV. SCHEIDT
S. R. M. CONSIL. IVSTIT. ET ACADEM. HALLENSIS
IN ACADEMIA HALLENSIS
COMMENTATIO
DE
RATIONE BELLI
RAISON DE GUERRE
EX IVRE ET MORIBVS
GENIVS



FRANCOFURTI AD MOENIA
MDCCLXXIII
M. DCC. LXXIII



~~Viss. proe. hand.~~
Viss. gent.

60-86.

Scheid. Featgruf.

L. 3.

3 L. 60-86.

Blank page with a large, rectangular, aged paper label pasted on the right side. The label contains faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

II
G
S. R.
ET
R



V I R O
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
GVILIELMO AVGVSTO
VON DER OSTEN

S. R. M. CONSILIARIO INTIMO ACTVALI
ET MINISTRO STATVS SPLENDIDISSIMO, REGIORVM
REDITVVM ET CAMERAE AVGVSTALIS SVPREMO
DIRECTORI, ORDINIS DANEBROGICI
EQVITI AVRATO ETC. ETC.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO
ET MAECENATI INDVLGENTISSIMO

IN SIGNVM DEVOTISSIMAE OBSERVANTIAE
ET HVMILLIMI CVLTVS
HOC SPECIMEN ACADEMICVM
SACRV M ESTO.

VIRI
ILLVSTRISSIMO VICE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
WILHELMO AVGVSTO
VON DER OSTEN

S. R. M. CONSILIARIO INTIMO ACTVARI
ET MINISTRO STATVS SPLENDIDISSIMO REGIVM
RESTITVTVM DE CAMERARA AVGVSTISSIMO
PREFECTO ORDINIS BENEVOLENTIAE
REGII AVARATO ETC. ETC.

DOMINO VERO GRATISSIMO
ET MAXIMAE INTELLECTVSSIMO

IN OMNIBVS REBUS OBSERVANTIAE



VIR ILLVSTRIS
ATQVE EXCELLENTIS
DOMINE GRATIOSIS



T ad TE potissimum, DOMINE,
tamquam ad aram tutelarem,
specimen hoc temporis hactenus
non in otio & sine omni, vt
spero, fructu transacti, sed literis
seuerioribus in academia
patria nuncupati, confugere audeat, multae mihi
tam publicae, quam priuatae caussae fuaserunt,
quin immo haesitantem peruicerunt profusus.
Vnam, non omnes, nominabo. Cum enim
EXCELLENTIAE TVAE eruditio & nobilitas
animi nihil vile aut vulgare complexa, inter
illustriora illa ingenia, quae DEVS ad res magnas
prouisu & industria gerendas singulariter format
excitatque, dignissimo TIBI locum eminentem
nuper assignarit, iure, spero, exprobrari non
poterit mihi, in clientela TVA constituto Musarum

DEDICATIO.

rum alumno, si tacita haec hactenus veneratione apud me compressum gaudium publice in vota & gratulationes erumpi patiar. Praeterea felix ille genius & vigor incomparabilis in praesentes publicae rei vsus supra quam dici potest per altitudinem sapientiae erectus EXCELLENTIAM TVAM ILLUSTRISSIMAM ita ciuibus, qui vllam ciuitati a litteris salutem sperant, amabilem venerabilemque reddidit, vt nemo facile reperiat, cui TV non in summo amore atque in deliciis sis. Quae enim inusitata TVA in litteratos omnes benignitas est, illud vltro summa sollicitudine facis, vt non infinitos tantum ex omni genere studiorum debitores habeas, verum dum in exstruenda noua litteraria ciuitate, in qua honestiores nobilium & in illustriori loco natorum animi perpoliantur, REGI SACRATISSIMO primus fere haec hactenus manus auxiliares tulisti, eam omnium mentibus insinuasti fiduciam spei, exemplum TVAE EXCELLENTIAE ILLUSTRISSIMAE, quod perfectissimum est omnibusque numeris absolutissimum, redditurum generosae tibi amorem cultioris sapientiae, ardoremque erga ciuilem prudentiam, sine qua respublica ex voto & vsu REGIS ac populi tractari nequit. Equidem si tantum mihi ingenii esset, vt quam in publicis patriae commodis tutandis personam
 geras

DEDICATIO.

geras fuso luculentoque stilo possem exsequi, la-
tissimus campus de laudibus TVIS differendi
mihi sese aperiret. Possem ostendere, quam
propensum in tantis honorum & meritorum cu-
mulis atque culminibus in bonos omnes ani-
mum habeas, vt eos auctoritate TVA foueas,
summa gratia ad meliorem spem erigas, prou-
dentissima ratione tuearis; verum & TVAE EX-
CELLENTIAE id prohibet modestia, qua cum
votis omnium satisfacis, cum Musas omnes,
omnes Gratias in sinu, in gremio, in pectore li-
beralissime foues, id tamen vnum agere videris,
vt alios nullos ex tot immortalibus & praeclaris
meritis plausus feras, quam intemeratam lae-
tamque recte factorum conscientiam, & praedi-
care tale quid supra ingenii mei vires est. Hinc
satisfecisse me occasione, cur talia ad TE scripse-
rim, arbitror, vbi publice professus fuero, quan-
tum TIBI a multis iam retro annis familia mea,
meaeque reculae debeant. Eo ipso enim tem-
pore, quo Satrapam REGIS in patria mea egisti,
in quo ipso munere tam sancta & incorrupta
fide versatus es, vt incredibile TVI desiderium
apud ciues omnes reliqueris, tanta erga me vt
cepisti indulgentia, tam multiplici gratia paren-
tes meos amplexus es, vt, cui post DEVM O. M.
plura quam TIBI debeam, habeam profecto ne-
minem.

DEDICATIO.

minem. Hinc ingrati notam effugerem numquam, nisi TVAE EXCELLENTIAE totum me aeterno clientelae nexu mancupatum profiterer. Quod ipsum vt publice iam faciam, patere. DEVS autem qui TE singulari Regnorum Daniae ac Noruagiae commodo nasci voluit, ita consiliis TVIS sapientissimis, grauisissimisque TVIS laboribus benedicat, vt gloriae TVAE ad feram vsque senectam superstes intersis, huncque summae prouidentiae TVAE & in rebus publicis gerendis fidei fructum feras vberimum, vt gloria meritisque cumulatuscumque ILLUSTRISSIMAM GENTEM TVAM fama, felicitate & perennitate florentissimam ornatisissimamque aeternum videas. Vale, DOMINE ILLUSTRISISIME, decus & praesidium meum.

ILLUSTRISSIMAE TVAE
EXCELLENTIAE

cultor humillimus

C.

G.

PRAE.



P R A E F A M E N .

QUID inter gentes liberas, nullo imperii civilis vinculo
connexas, & non simulatibus tantum collifas, sed
ex proposito per vim certantes iustum sit, iniustumue,
tam ardua est generique humano salutaris consultatio,
quam feralis proftigandae delendaeque societati humanae furor
illorum & insania, qui cuncta in bello licita esse, & quoniam,
vt Agamemnon apud SENECAM dicit:

- - - regi fraenis nequit
et ira, & ardens hostis, & victoria

- - - gladiusque felix, cuius infecti semel
vecors libido est,

inter arma leges omnes, ipsaque adeo iura ista aeterna, quae
ipso humanitatis intuitu, naturalem quandam inter homines con-
iunctionem & amicitiam, perpetua sanctissimaque religione, cu-
stodire iubent, omni sua vi destitui atque silere prorsus existi-
mant, Proceribusque orbis terrarum, infelici omine, per-
suasum reddere conantur. Equidem & nimis prolixus fo-
ret, & parum forte glorijs labor, omnem illam, quae in bello
obinet, iustitiam repetere, cum fieri non possit, quin multa,
quae a viris eruditis in arduo hoc argumento pridem iam
obseruata fuere rectissimeque tradita, recoqui quasi ac de
A charta,

charta, ut aiunt, in papyrum transcribi deberent: cum vero ex legibus academicis *agoni anniuersario* aptanda sit meditatio, non infructuosum prorsus opus moliturum me arbitratus sum, si ex vasto illo iustitiae bellicae ambitu hoc potissimum argumentum deligerem, quod de ratione belli praecipit; non solum quia, ut BOECLERVS dissertatione, cui titulum fecit, *quies in turbis*, & quae V. est in iis, quas ad Commentationem Grotianam appendicis loco adiunxit, p. 215. ait, *iactatur saepius apud bellantes titulus necessitatis, siue ius necessitatis, ut Grotius, siue RATIO BELLII, sicut hodie loquuntur* - - - *Nihil isto titulo & simulacro iuris frequentius; sed altum de limitibus positis & temperamento aequitatis silentium est: verum quoniam hoc ipso tempore, quo magna nobilioris Europae pars bello ardet, non raro in litteris publicis huiusmodi facinorum fit mentio, quae cum iniusta videantur leuiter saltem ea intuentibus, ab iis tamen, qui recte subaecto iudicio probe apud se ponderant, quam multa prementibus armis, ob vim necessitatis licita euadant, facile excusantur ac ab iniquitatis nota liberantur. Quapropter cum haec ipsa qualiscumque tractatio temporis huic conuenientissima videri possit, non inutilem prorsus operam in ea a nobis collocatam esse LECTORI BENEVOLO facile me persuasurum arbitror. Est quidem, quod fateor, argumentum hoc non ex classe eorum, quae antea tractata fuere a nemine: Nam VERICVS OBRECHTVS, excellentissimus quondam atque litteratissimus Vir, peculiari istud dissertatione academica, quae VIII. est in eius opusculis iunctim editis, illustrauit, ex cuius lectione profecisse me multum non dissimulo. Sed qui nostram cum Viri Summi lucubratione conferre voluerit opellam, facile vibebit, non solum magnum nobis ab eo relictum fuisse spicilegium, verum etiam eam a nobis in hac disquisitione calcatam fuisse viam,*

viam, vt, quod praefiscine dixerim, rem ex suis principiis ante nos iusto ordine deduxerit nemo. Ita enim argumentum hoc arduum perfecto & difficile, pro viribus, quas DEVS concessit, illustrauimus, vt in vastissima dicendorum copia pleraque facinora, quae EX RATIONE BELLII vel excusari solent vel incusari, non sub incudem saltim missa cernat LECTOR BENEVOLVS, verum etiam deprehendat, nos modesto rerum examine instituto, circa respectum, quid alii dixerint, quo iure singula ponderanda sint atque aestimanda ex genuinis principiis si non late declarasse, certe indice digito ostendisse. Mature enim vix operi manum admouens intellexi, quod sicuti in omni de moralitate actionum disputatione verum est illud CICERONIS in Orat. pro Caecina: omnia incerta sunt, cum a iure discessum est; ita praecipue in his quaestionibus aeternum ille fluctuare debeat, qui ad hanc cynosuram non respicit, non eam tantum ob causam, quoniam omni saeculo fuere, quibus iuxta illud SILII ITALICI durum:

- - vitam sine Marte pati, quippe omnis in armis
lucis causa fita, & damnatum viuere paci;

quique ideo haut secus ac pro aris & focus contendunt, iustum ex usu spectandum, & facinoris cuiusuis aestimationem a successu petendam esse; quidquid vis armorum in impotentiores agit, id eo aequius censei, quo validius perpetratur, naturale enim esse, vt quisquis viribus potior est, aequiora semper & dicere & facere putetur: verum etiam quoniam, vt suo iam aeuo obseruauit THUCYDIDES, grauissimus ille eloquentissimusque historicus, L. III. in pace rebusque secundis, cum nulla ad facinora, praeter voluntatem, necessitas impelli, rectius iam publice, quam priuatim mortales sentiunt, bellum vero cum ea eripiat, quae ad vsus vitae cottidianos pertinent, violentus

magi-

magister ad praesentem plerumque rerum statum impetus animorum defleat. Vnum quidem est, quod deterrere nos potuisset, quo minus in argumento hoc illustrando defidemus. Scilicet erunt forte, qui obicient nobis illud LVDOVICI ZVCCOLI in *diss. de ratione status ab init. temerarium esse ab illis, qui nunquam omnino ad clauum reipublicae sederunt, iudicium ferri de administratione Imperiorum ac Reipublicae.* Sed his dicam paucis, obiectionem hanc latus nostrum quam minime ferire. Praeterquam enim, quod nihil nobis arrogemus, quam diiudicationem quaestionis, quo iure quid in bello fiat, qua iniuria, quae omnino cum munere, quod gerimus, publico arctissime cohaeret, illud probe nouimus, aliud prorsus esse, pro praesenti armorum habitu & belli statu dispicere, vtrum huic vel illi facinori, quod prudentia militaris suadet, RATIO BELLII excusatur, locus tuto relinqui possit? ac in eo diiudicando caecutire omnes, qui in curiam militarem venerunt numquam, numquam praesumere exercitibus ambabus manibus lubentissime largimur. Nec enim, vt idem dicit ZVCCOLVS, qui mare ingressus est nunquam, sibi iribuat, quod nauticae artis peritus sit; nec, qui Musicae operam non dedit, profiteatur, se notas harmoniasque cognoscere. Quod autem superest, DEVM rogamus, VT SPIRITV SVO VERITATIS DUCAT NOS IN VERITATEM OMNEM.

§. I.

DECORVM in aliis hominibus eiusdem nobiscum fortis & conditionis quoad res indifferentes, nullaue Superioris regula definitas, ad exiltimationem nobis conciliandam, vel certe ad contemptum evitandum, prudenter imitandis ponimus; At *Honestum* est, ad quod ex natura perfectionis siue in ipso DEO conspicuae, siue ex rectae rationis & conscientiae dictamine haustae, siue denique apud alios

alios homines praestantissimos obseruatae determinamur :
Licitum autem nominamus, quicquid secundum *regulam*
Superioris, secundum quam *subditi* actiones suas *liberas* diri-
 gere tenentur, ita est comparatum, vt agens subditus *extra*
poenam sit; porro *Iustum* dicimus, quod huiusmodi *regulae*
Superioris ita conuenit, vt secundum eam *ferri praecise* aut
omitti a subdito debeat. *Viile* denique ex nostrarum *actionum*
honestarum, decorarum, iustarum, vel saltem licitarum ad com-
moda, quae exinde in nos resultant, tam praesentia, quam
futura, relatione aestimamus.

SCHOLIION.

Curatam *decori, honesti, iusti, liciti* atque *utilis* differentiam scire,
 multum in omni *iurisprudencia naturali* prodest, ceu pridem eiecit
 de scientia hac immortaliter meritus CHRISTIANVS THOMASIVS.
 Quamuis dubitemus, vtrum in ea recte tradenda atque inculcanda fe-
 lix esse possit Philofophus, qui sub Themidis vexillis militauit num-
 quam. Nam vel ipse illustris WOLFIVS, quem tamen, qui in omni-
 bus disciplinis peraeque excellentes homines, *aristoteli*, nullaque
 omnino doctrinae parte cuiquam concedentes superstitiose credere ac
 colere volunt, primo semper loco nominare solent, in notionibus his
 euoluendis aliquid humani passus est, ceu id patet ex Ipsius definitione
decori, obscura satis in *Philof. Pract. vniuers. P. I. §. 194. et 196.* et defi-
 nitione *liciti*, oppido falsa, quod *iustum* cum *licito* confundit, in *Iur.*
Nat. P. I. §. 125. Meliorem quidem *liciti* definitionem legisse me memi-
 ni in eius *Phil. Pract. vni. §. 170.* sed ibidem iterum *honestum §. 171.* ita
 definitur, vt, quomodo a *iusto* discrepet, nemo videat. Quod ipsam
 tamen in contemptum Viri Summi dictum nolumus.

§. II.

Tales *regulas Superioris* iam antiquitus *leges* fuisse ap-
 pellatas IACOB. THOMASIVS in *diss. de potestate legislatio-*
ria §. 8. obseruauit: *Extra statum civilem* autem *legem* eius-
 modi nullam nouimus, nisi *leges DEI: & Leges DEI*, vbi
Solam rationem in consilium adhibemus, iterum alias omnes
 ignoramus, quam quae vulgo *ius naturae & gentium* dicun-
 tur.

tur. Vnde & hoc loco licitum nobis audit, quicquid secundum ius naturae extra poenam seu Numinis indignationem est; iustum, quicquid secundum illud ob necessarium & manifestum nexum suum, quem cum natura sociali & recta ratione habet, fieri aut omitti debet.

SCHOLION I.

Summus hic dari legem naturae et gentium, id est regulam diuinam, cui liberis actiones ductu rectae rationis tam singuli homines, quam integras gentes attemperare obligentur. Nec existimamus, longa probatione opus esse, posteaquam legem hanc naturalem et gentium, repetita origine eius a DEO, diuinam diximus, quod in potestate hominum positum non sit, utrum observare eam velint, nec ne? cum violando et transgrediendo eandem DEVM offendant, qui et obligare eos per hanc regulam potuit et voluit. Disputare contra Atheos super veritate toties iam ab eruditis inculcata et probata praesens inslitutum non patitur. Neque enim eos inslae et accuratioris methodi vim intelligere existimamus, qui dum argumentum aliquod tractant, fines et limites scientiarum omnium turbant, et saltem a primis et remotissimis principiis repetisse omnia videantur. Vnde nos potius nihil ex generalioribus praemittere constituimus, quod non in demonstrationibus sequentibus vltim nobis manifestum praebet, persuasi multa forte licere Philosopho, quae non licent Iureconsulto, qui non in speculationibus et abstractionibus, sed in ipso rerum usu et negotiorum applicatione iusti et liciti naturam quaerit. Quod semel monuisse sufficiat.

SCHOLION II.

Qui ius gentium morem gentibus inter se agentibus certis in actionibus seruatum, tamquam societati humanae congruentem dicunt, idem reuera nobiscum sentiunt. Quodsi enim mos ille certa aliqua et necessaria ratione naturali nititur, nil aliud est, quam ipsum ius naturae, aut pari eius, cuius ad integras gentes fit applicatio; ceu pridem id peruidisse HOBBSIUM vulgus etiam eruditorum non ignorat, cuius in Libro de ciue c. XV. §. 4. haec verba sunt: Leges loquentes de hominum singulorum officio NATURALES dici, applicatas totis ciuitatibus, nationibus siue gentibus vocari IUS GENTIUM. addat BOECLER. ad L. II. GROTI. de I. B. et P. c. 7. §. 13. p. 315. Si vero probabilem duntaxat decori et vtilitatis rationem habet, tacito quodam consensu inter plerasque

que gentes, saltim moratioris, usu, imitationis et consuetudine approbatam, ius gentium voluntarium, seu, ut SELDENVS de mari clauso L. I. c. 3. illud nominat, interueniens dici solet, a priori, quod eidem SELDENO imperatiuum audit, in eo diuersum, quod, qui contra illud faciunt, populi, iniusti sint, DEVMQUE auctorem iuris naturalis grauitur offendant; qui contra hoc aliquid perpetrant, dummodo caeteroquin aeterna iuris naturalis placita sancte custodiant, saltim contra decorum egisse dici queant, adeoque rudes sint. Quoad postremum igitur, quoniam huiusmodi consuetudines nullam vim obligandi habent, (dum nemo est superior, qui gentes ut inter se aequales ad tales consuetudines aeternum seruandas obligarit, ut egregie obseruat Consulitissimus quondam et iudiciosissimus vir, IOH. NICOL. HERTIVS in diss. de lytro Sect. I. §. 2. Opusc. T. I. p. m. 225. et 246. seq. edit. de Anno 1700.) pendet a cuiusvis populi prudentia et arbitrio, velintne propriis sui commodi causa talem consuetudinem sequi, nec ne? neutiquam quoad primum. Quae omnia ad mentem immortalis PUFENDORPII de I. N. et G. L. II. c. 3. scripta, immo trita hodie et vulgaria, ideo tamen inculcanda putauimus, quoniam primarius ille iurisprudentiae naturalis interpres, GROTIUS, et plures alii, toties discriminis alicuius inter ius naturae et ius gentium mentionem iniiciunt. vid. Proleg. de I. B. et P. §. 17. 40. 46. item c. 1. §. 14. et alibi passim.

§. III.

Licitum extra ordinem dicimus, quando quid veniae siue fauoris tribuitur necessitati. SENEC. in controu. L. IV. c. 27. *Necessitas*, inquit, magnum humanae imbecillitatis patrocinium est, quod, quicquid coegit, defendit. Iustum extra ordinem autem appellamus, quod ob veram legum collisionem fieri debet. Sic v. gr. vitae conseruandae spem ac desiderium a natura homini instillatum cum sanctis martyribus iuste eiurat, cui impofterum in contumeliam DEI viuendum esset; faucium membrum licite refecat, ne pars sincera trahatur, qui rem illicitam agens, v. g. duelli, quod in ciuitate inire vetitum, alcam subeundo vulnus accepit.

§. IV.

Exceptio est iusta & legitima determinatio cur regulae
com-

communi in praesenti casu stare nequeamus: determinatio haec ex variis principiis peti potest, prouti mox alia *lex fortior* adest; mox *status peculiaris*, in quo constituti sumus, praecise a nobis exigit, vt omnes ingenii neruos, vires, quibus pollemus, cunctas eo dirigamus, quo *licitum* quempiam peculiarem finem assequamur; mox aliae *rerum circumstantiae*, quae mutare a nostro non pendet arbitrio, concurrunt. Vnde patet, in omni *licito* vel *iusto* *extraordinario* (§. 3) adesse exceptionem.

§. V.

Quaelibet facultas naturalis aliquid agendi proprie ius non est, sed ea demum, quae apud caeteros homines, qui eiusdem naturae sunt, effectum hunc moralem inuoluit, ne nos impedire debeant, aut nobis iniuris ad easdem res vsurpandas concurrere. PUFENDORFF *de Iur. Nat. & Gent.* L. III. c. 5. §. 3. Vnde quanto *latius licitum*, quam *iustum* pateat, palam fit. *Ex omni enim facultate morali aliquid agendi licitum* emergit, licet non omnia, quae *licite* agi possunt, *iuste* etiam fiant. PUFENDORFF *l. c.* L. II. c. 2. §. 3.

SCHOLIION.

Optime norunt Iureconsulti, duplicem dari *licentiam*, alteram *facti*, alteram *iuris*. Ea, quae *facti* est, *licentia* oritur tantum *ex potentia naturali*, quae vero *iuris* est, *potestate aliqua morali*, vel saltem *iustitia extrinseca* nititur, et praeter *impunitatem agendi* etiam hunc effectum habet, vt, qui egit, quod ita licebat agere, ad ipsum *legis auctoritatem* prouocare possit, eiusque *tutelam* quoad *facti excusationem* sibi promittere: Exemplum habemus *Genes. XX, 5.*

§. VI.

Obligatio in relatione ad alios homines *imperfecta* dicitur, vbi *motiua*, secundum quae fieri vel omitti quid debeat, a sola nostra *natura rationali*, id est, *perfectiois repraesentatione*, seu, vt alii loquuntur, *virtutis amore, conscientia* & pu-

& pudore nostro proficiuntur: vbi vero huic, quod iam in conscientia, & secundum regulas perfectionis, id est, humanitatis & cuiusvis virtutis, adest, vinculo aliud, quod ab ente alio intelligente originem repetit, accedit, obligatio perfecta audit. Quare iam qui haec cum notione honesti & decori (§. 1.) contulerit, vel secundum ea definitionem iurgantium voluntarii (§. 2. Schol. 2.) examinauerit, ad vtriusque obseruationem in relatione ad homines imperfectam saltem obligationem adeste animaduertet.

SCHOLIION.

Dicimus autem in relatione ad homines, quoniam in relatione ad DEVM nulla datur obligatio imperfecta, quod, ne quis temere litera nobis moueat, monemus.

§. VII.

Laesio est actio vel omisso, qua alter, siue status eius externus deterior aut imperfectior, quam natura est, redditur. Ab omni imperfectione natura sua homo quam maxime abhorret, vnde ipsi facultas defendendi se & resistendi laesioni a natura comparata, quippe sine qua ordo socialis (§. 2.) conseruari non possit.

§. VIII.

Facultas ergo depellendae laesionis non aliter naturalis est, quam in respectu ad ordinem socialem: (§. 7. iunct. §. 5.) hoc est, saluo ordine, quem natura socialis fini suo consequendo supremo loco destinavit. Vnde in omni facultate resistendi laesioni naturaliter haec exceptio (§. 4.) est, nisi resistendo violetur ordo socialis, cuius primam & summam rationem ipsa natura habet. (§. 2.) Ceu egregie philosophatur BOECLERVS in Comment. ad GROTIUM L. I. c. IV. §. 2.

SCHOLIION.

Cave autem, ne hac exceptione vtaris in odium eius, qui in depellenda laesione versatur. Huius enim facultati resistendi, quando in naturali

rali libertate degit, termini adeo praecise nulli positi sunt, ut his egressis queri laedens de iniustitia possit, ceu PVPENDORFFIVS I. N. et G. L. II. c. 5. §. 3. hanc BOECLERI philosophiam discutiens ratiocinatur. Vnde integrum ei, vim vi repellere. Praeterquam enim quod hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripserit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent, ut ait CICERO in Orat. pro Milone: societatem hominum atque communitatem everti necesse esset, si praesidia hominibus detrahantur denegenturue tuendi afferendique iuris sui, ut idem ille oratorum antiquiorum princeps CICERO L. III. de offic. c. 5. philo- lendae laesonis vindictae, quae vnice laedentis dolorem et perniciem intendit, locus detur, vel aduersus laedentem, etiam vbi poenitentia dum- Etus damnum surcit, et cautionem de non amplius offendendo praestat, immortales foueantur inimicitiae. Quod omne qui perpendit, facile con- cesserit, parum perdidisse homines, posteaquam in ciuitates abiere, quod facultas depellendae laesonis in summam potestatem necessario ab ipsis deferri debuerit.

§. IX.

Libera gens est coetus hominum sui iuris intra certum orbis terrarum tractum sub imperio civili vnitus, earum actionum, quae ad totam societatem spectant, nec normam vel regulam in hoc mundo, praeter rectam rationem, nec iudicem, praeter DEVM, agnoscens. (§. 2.)

§. X.

Medium, quo liberae gentes (§. 9.) illatas sibi laesiones, (§. 7.) vel vi armorum aperta, vel dolo astute vindicant, sibi quae ipsae satisfaciunt, certationem per vim; statum vero gentium liberarum ita per vim inuicem certantium bel- lum dicimus.

SCHOLION I

Ita emendare placuit Grotianam belli definitionem, quod sit fra- tus per vim certantium, quae tales sunt, quae tradita a viro Summo in immortalis de iure belli et pacis opere L. I. c. i. n. r. iam pridem vapu- lauit ab eruditis. Sed qui ei obiciunt obscuritatem, quod rite non detet-

determinatum sit, quid sit certare per vim, vel eam ideo obelisco ingu-
lant, quod aeque in tumultum, vel publicam priuatamque vim cadat, ac
in bellum iustum, non habebunt amplius, quod post hanc emendatio-
nem regerant.

SCHOLION II.

CHRISTIANI WOLFII, Illustris viri, et Philosophorum huius
aevi vere Principis, definitionem, quod sit status hominum, in quo unus
ius suum vi persequitur aduersus alterum, quam Iure Natur. P. I. §. 1102.
exhibet, ideo nostram non fecimus, quoniam partim ratione persona-
rum bella inter se gerentium praecise requirimus, vt maiestate ciuili
praeditae sint, adeoque vulgarem inter bellum publicum et priuatum di-
stinctionem reiicientes inter homines singulos in statu naturali viuentes,
vel etiam moderamine inculpatae tutelae vsos, (nam his etiam applicari
potest viri Summi definitio,) non tam bello, quam certaminibus et dueli-
tis locum facimus: partim vero operae pretium esse censemus, vt doli
aeque ac vis mentio in definitione fiat, quoniam etsi modus agendi in
bello maxime proprius sit VIS ET TERROR, non minus tamen aduersus
hostem FRAUDE AC DOLO vti licet, modo fides data non laedatur, vt
ait vir fama et gloria immortalis PVENDORFF. de offic. hom. et ciu.
L. II. c. 16. §. 5. Quamuis quoad primum, quod ratione personarum ob-
iecitimus, dissimulari nequeat, mentem non fuisse Illustri viro, vt bellum
publicum definiat, ceu patet ibid. ex Schol. §. 103.

SCHOLION III.

Quod ex PLATONIS Philosophia bellum esse non possit inter gen-
tes cognatione sibi iunctas magis Philosophi huius speculationibus ab-
stractionibusque, quam verae rei notioni tribuendum esse censemus. Ita
autem ille L. V. de republ. Socratem differentem inducit: Atto equidem
Graecos omnes inter se propinquos esse genere atque cognatos, a Barbaris
autem diuersos atque extraneos. Quoties igitur Graeci aduersus Barba-
ros, vel Barbari ipsi contra Graecos pugnabunt, BELLVM GERERE as-
serimus, et hostes esse natura, et inimicitias hasce BELLVM VOCABI-
MVS. Quando vero Graeci aduersus Graecos insurgunt, dicemus eos na-
tura quidem amicos esse, morbo autem laborare in hoc Graeciam, et sedi-
tionibus agitari et seditionem inimicitias appellabimus. . . . Itaque
contentionem sibi aduersus alios Graecos subortam tamquam cum suis geri-
putabunt, seditionemque vocabunt, NON BELLVM. Licet non negem,
vehementer me optare, vt Germaniae populi hodie, nescio quo infe-
lici sydere, inuicem pugnantes in succum hanc sententiam conuertant
et san-

et sanguinem, ob praeclara ea, quae iam sequuntur, monita: *Beneuolę igitur et temperato animo rem gerent, non ad seruitutem aut necem respicientes, tamquam QUI HOSTES MINIME SINT. Non ergo Graeciam cum Graeci sint (quidni igitur Germaniam cum Germani) destruunt, - - neque regionem deuastabunt eorum, quasi ut plurimum amicorum; neque domos subuertent, sed catenus decertabunt, quatenus qui discordiæ causam dederunt, insonibus poenas soluent.*

§. XI.

Arma dicuntur subsidia instrumentaque, quibus compescere hostes, ac, sicubi opus, e medio tollere ualemus. Talia ius naturae non determinat, sed libero gentium arbitrio & necessitati relinquit.

SCHOLIION.

Vnde cernimus, in armis toties variatum, quoties noua necessitas vel commoditas liberas gentes melius in fluxit; ceu id vel ex solo IVSTI LIPSII libro, quem *Poliorecticon*, siue *de Machinis, tormentis, telis* inscripsit, disci potest. Dauidem Goliathum lapide confecisse Scriptura sacra narrat. Licet ipsum hunc *pugnandi morem tunc inuistatum* fuisse, ac ut hodie dicerent, qui *rationem belli magis ex usu populorum, quam rationis imperio aestimant, contre la Raison de Guerre* forte ex colloquio Goliathi i. *Sam. XVII, 43*, colligas. Bestiis ferocissimis vsae sunt aliae gentes; et Hannibalem omne serpentum genus in sicilia uasa conici iussisse, interque praeliandum in naues hostium misisse CORNELIUS NEPOS auctor est. Neuter tamen bella gerendi modus amplius in usu est: quin etiam sagittae hodie non, nisi Barbari, qui usum pulueris pyrii et candentium globorum ignorant, vsurpare solent. Itaque quibus armis quis in bello instructus esse debeat, *sole prudentia militaris, habita ratione temporis, loci, virium et armorum hostilium definit.* SCIPIO AMIRATVS L. II. *dissert. Politic. seu discursuum in TACITVM disc. 4. p. 89. sqq.*

§. XII.

Concedi nobis postulamus, quemadmodum singuli homines eam uoluntatis suae conditionem experiuntur, quae nil eos appetere patitur, nisi sub ratione boni, sic etiam integras gentes (§. 9.) ita *desiderio felicitatis iuste* (id est ex arbitrio sapientissimi orbis conditoris) (§. I. & 2.) tangi,

tangi, vt ea ipsa lex, quam *perfectiuam* dicunt recentiores Philosophi, (conf. Illustris WOLFII *Phil. Pract. vniuers. P. I. §. 193.*) quaeque ad meliora bonis minoribus praefenda obligat, &, quod consequens est, propter maiorem perfectionem *licita* quaedam mox omitttere, mox committtere iubet, illis scripta sit. *Ob hanc legem* & possunt, & debent facere illud omne, quod ita comparatum est, vt, si ab illis ommitteretur, ipsis foret pereundum. Felicitas autem liberarum gentium in securitate, pace & tranquillo ac a nemine turbato rerum suarum usu potissimum consistit. Vnde iterum concedi nobis postulamus, liberae cuius genti de pace conseruanda potissimam curam ex mente Sapientissimi Creatoris esse debere.

§. XIII.

Finis belli (§. 10.) est vel *vniuersalis*, vel *vniuersali subordinatus* & *particularis*. *Vniuersalis* est iuris, quod cuique perfecte competit, aduersus turbatores eiusdem defensio, vt eo facilius postea quietus & securus eiusdem vsus obtineatur: qui cum in pace sola consistat, vno verbo dici potest, *finem belli vniuersalem pacem esse*. GROTIUS de I. B. & L. III. c. 25. §. 2. PVFENDORFF in *Element. iurisprud. vniuers. L. II. obseruat. 4. n. 19.* Recte enim ARISTOTELES, iudiciosissimus fere Philosophorum omnium, *Lib. X. ad Nicomach. c. 6.* bellum gerimus, inquit, vt in pace degamus; nec est, qui bellum exepetat, vel bellicum apparatus faciat, bellandi causa; nam sanguinarius prorsus esse videretur, si amicos ea causa sibi hostes redderet, vt pugnae & caedes orirentur; &, qui huius legit vestigia, CICERO L. I. de offic. ita, ait, bellum suscipiatur, vt nil aliud, quam pax, quaesita videatur. *Finis vniuersali subordinatus* est damni nobis illati reparatio & sarcitio; *particularis* denique singularum actionum bellicarum finis est, vt firmentur augeanturque vires nostrae ad ius nostrum

adferendum defendendumque, contra ut hostium vires ad nocendum nobis, quantum fieri potest, frangantur minuanturque.

SCHOLIION.

Nullibi locum *poenae* fecimus, quamvis etiam *poenam ad finem belli* referat GROTIUS, et cum eo ex recentioribus quam plurimi, immo ipse illustris WOLFIVS. Disputare quidem contra hos, eosque erroris arguere praesentis instituti ratio non postulat: Silere autem et celare prorsus dissentium nostrum non potuimus, quoniam *in tractatione speciali* exinde conclusiones quasdam deducere volumus.

§. XIV.

Finis belli vniuersali subordinatus (§. 13.) non ex solo belli principio aestimari debet, verum etiam ex *caussis subnascentibus*. GROTIUS de I. B. & P. L. III. c. 1. §. 3. ad *caussas subnascentes* refert TEXTOR in *Synopsi Iur. Gent. c. 18.* quicquid durante bello contigit, adeoque 1.) *damna post indictionem belli illata*, eorumque *reparationem*, 2.) *factos in miliciam sumtus necessarios*, 3.) *cautionem de non offendendo imposterum*, quam solam obtinemus, vbi hostis malo suo dedoceatur delinquere, alique eius exemplo deterreantur, ne mala nobis temere intentent. *Finem belli particularem* autem eo vsque recte extendi posse arbitramur, vt nonnulla, quae aliquando bellum necessario, quamquam indirecte, & extra agentis propositum consequuntur, in bello licite fieri censentur, licet vel maxime alias extra istam causam licite fieri non possint.

§. XV.

Liberae gentes, quia iudicem actionum suarum nullum habent, (§. 9.) si quae ipsis illatae sunt laesiones (§. 7.) adhibita vi licite eas propulsant. (§. 8. Schol. 1.) Certatio huiusmodi per vim bellum dicitur, (§. 10.) ergo *liberae gentes* licite bellum gerunt. Recte igitur in abstracto *inustum bellum*

bellum dicitur, quod ad depellendas laesiones illatas a libera gente suscipitur: licet in concreto valde sit periculosum de iustitia belli iudicare, praecipue cum illud utrinque iustum esse possit. GROTIUS de I. B. & P. L. II. c. 23. §. 13. immo regulariter haec natura bellorum sit, ut utraque pars praetendat, se fouere iustam causam, ut recte animaduertit ALBERIC. GENTILIS de I. B. L. I. c. 6. vbi late haec explicantur.

SCHOLIION I.

Datur in tanta hominum malitia et ad laedendum alios procliuitate omnino bellum necessarium; dantur casus, vbi nulla, nisi in armis, relicta est pacis spes. Vnde facile est, ius gerendi bellum ex dictamine rectae rationis adstruere. Quamquam enim rem leuiter intuentibus praecclare dixisse videatur SENECA ep. 96. quando homicidia, ait, com-
pescimus, et singulas caedes, quid bella et occisurum gentium gloriosum scelus? Non auaritia, non crudelitas modum nouit. Ex Senatusconsultis plebisque scitis sacra exercentur, et publice iubentur, vetita priuatim. Quae commissa capite luere, tum, quia paludati fecerunt, laudamus. Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere, cum inter se etiam mutis et feris pax sit: tamen quam primum curate in naturam hominis inquirimus, utque misera profecto toleranda foret vita, vbi nulla nobis aduersus vim iniustam inferentem comparata essent media, consideramus, facile inuenimus, longe rectius dixisse LIVIUM, veterum Historicorum Principem, L. VIII. iustum bellum, quibus necessarium, et pia arma, quibus nulla, nisi in armis relinquatur spes. Quod enim ad SENECAE argumentum a bestiis desumptum attinet, respondisse iam ad illud memini STEPHONIUM, Auctorem libelli Gallici notissimi, cui titulus le Ministre d'Etat P. II. disc. 1. p. 18. dicendo: Il ne faut point trouver étrange, que les hommes entrent si souvent en querelle avec leurs semblables; puisque si rarement ils ne sont d'acord avec eux mêmes; puisqu'ils ne sont presque jamais au dedans libres de trouble et de brouillerie, et que leur ame propre est le champ des combats qui se donnent, et logo toujours en elle même les ennemis, qui se font la guerre. Ce desordre, qui arrive en la condition des hommes, n'arrive pas en celle des bêtes, aude dans de quelles on ne voit point élever de discord, ni naître de contrariété de partis, et quae porro sequuntur, totum enim caput lectu dignum est.

SCHO.

SCHOLIION II.

Sed haec difficilior videtur quaestio, *utrum etiam Christianis gentibus licitum sit bella gerere?* de qua omni tempore in ecclesia fuit disputatum. Recentiorum Socinianorum et Anabaptistarum rationes destruxit B. CHRISTIAN. KORTHOLT peculiari opusculo academico de studio belli et pacis. Veterum sententias contra licentiam belli larga manu summaque industria collegit. ERASMVVS in *Adagiis ad proverbum dulce bellum inexpertis*, qui ipsemet in ea fuit haerens, quod Christianis bella gerere sit negatum. Iudiciosissimus BAYLIVS in *Diction. Critic.* p. 2744. edit. II. si nihil aliud a Socinianorum placitis abalienaret mentes Principum, numquam tamen fore existimat, ut eorum quispiam huic sectae se adiungeret, ob hoc solum imperiis civilibus tam exitiosum dogma. Nec saluam iis multum movebit recentiorum Quakerorum limitatio, quorum Apologista ROBERTVS BARCLAIVS, vir caeteroquin, quantum mihi videtur, laude pietatis minime priuandus p. 370. quod attinet, inquit, ad praesentes orbis Christiani magistratus, licet propter publicam, quam profitentur, CHRISTI nominis professionem Christianorum titulum omnino iis non negemus, confidenter tamen affirmare possumus, quod a perfectione religionis Christianae longe absint. Et quoniam in statu, quo sunt, puram Euangelii dispensationem non attigerunt, ideo dum in eo statu versantur, BELLVM ILLIS IVSTIS DE CAVSSIS SVSCEPTVM OMNINO ILLICITVM NON DICIMVS ETC. Sed nostrum non est tantas componere lites, ne, quod in proverbio dicunt, *falcem in alienam messem immisisse videamur*. Vnum hocce addimus, ne proorsus in tam ardua quaestione iudicium nostrum suspendisse videamur: Christianismum quidem obligare nos, ut alios diligamus tamquam nosmet ipsos, non vero magis, quam nosmet ipsos; itidem ut vindictam depouamus, offensam condonemus, non autem ut patiamur, ut alter pro arbitrio suo nobis insulset, iura nostra perfecta minuat, ac iniuriis quibusuis nos laceat: id enim si pati vellemus, reuera alios magis, quam nos ipsos diligeremus. Vbi igitur frustra tentatis mediis omnibus, quibus alias, ut sanguine humano parcatur, locus inter mansuetiores et praeceptis humanitatis rite imbutas gentes liberari esse solet, alterum permouere non possumus, ut ius nostrum nobis tribuat, et a laesione absteat, etiam secundum regulas Christianismi bella licite geri posse. Atque hinc recte ab AVGVSTINO de ciuit. DEI L. IV. c. 15. traditum existimamus: *Belligerare, et perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur felicitat, bonis necessitas. Sed quia peius esset, ut iniuriosi iustioribus dominarentur, ideo non incongrue dicitur etiam ista felicitas.*

§. XVI.

§. XVI.

*Vis haec, quae ex definitione belli (§. 10.) in bello iusto (§. 15.) in hostem licita est, recte etiam, ubi aliter nec ius nostrum defendi, nec iniuria arceri potest, ad caedem hostium pro-
 vedit. Caedes enim hostis hoc casu medium unicum est ad
 finem belli (§. 13.) consequendum: absurdum igitur esset, ius
 siue facultatem ad media nobis negari, ubi certum semel at-
 que exploratum, finem, quem his mediis unice consequimur,
 a Deo nec per rationem nec per sacram Scripturam reprobaturum
 (d. §. 15. Schol.)*

SCHOLION I.

*Ergo multo magis alia hostibus mala instigare, quae caede minora
 sunt, licebit. Vnde iam omne ius nocendi in bello, quam late illud pa-
 teat, facile deduci poterit. Capere enim et expugnare urbes, igne et in-
 cendio delere eas, quae in resistendo pertinaces sunt, hostium copias praелиis
 fundere, commercia cum gente inimica impedire, solum hostile incolis de-
 nudare, re annonaria spoliare, uno verbo: omne illud agere, vnde vires
 inimicorum minuantur franganturque, talia sunt, sine quibus bellum vix
 concipi potest. Vnde recte prorsus Legati Atheniensium ad Acolos
 apud LIVIUM L. XXXI. cap. 30. esse, inqueiebant, quaedam belli iura,
 quae ut facere, ita pati fas sit. Sata exuri, dirui testra, praedas homi-
 num pecorumque agi, misera magis, quam indigna esse patiendi.*

SCHOLION II.

*Tantumdem igitur in bello in hostem licet, quantum sufficit, ut et
 ipse a laesione nostri abstineat, et damnnum datum sarciat, et alii ex eius
 damno exempla sumant, ne parvili conatu nocere nobis audeant, (§§. 13.
 et 14.) Vnde quando in iure naturae docetur: esse ius belli infinitum,
 nomine hoc neutiquam indigitatur, quasi nullus in bello excessus iniu-
 stus sit, vel dictamini rectae rationis atque conscientiae repugnet. Potius
 qui ita loquuntur, vnum hoc sentiunt, iure belli in genere limites de-
 fensionis et vindicationis iniuriae praescribi non posse, sed eos demum ex cir-
 cumstantiis praesentibus terminari; Illustr. WOLF. I. N. P. I. §. 107.
 neutiquam autem hac positione negant: illicitum esse omne illud, quod
 fieri necesse non est, ut alterum ad ius nostrum nobis tributandum adiga-
 mus IDEM l. c. §. 113.*

C

SCHO,

❁)o(❁

SCHOLION III.

Nullo autem iure obligamur, *vt hosti aduersus nos sese defendendi copiam faciamus.* Et licet opinione multorum populorum haec inuenerit persuasio, quasi hoc ad fortitudinem pertineat, *vt alteri ius resistendi in saluo sit,* recte tamen obseruat Illustris SCHWARZIVS, vir cuius omnia acere iudicium produnt, oculisque Lectorum propemodum ingerunt, *in Specim. II. controuersiarum iuris nat. et gent. ex historia Graeca illustratarum §. 6. ambitionem, nimiamque virtutis ostentationem, et gloriae cupiditatem hanc sententiam peperisse, et virtutis potius proprium esse, compendium facere periculorum, quam ea sponte cumulare, aut non euitare, quae commode euitari poterant.*

§. XVII.

Vis haec, quae in bello adhibetur (§. 10.) non fit, *vt ex malo & taedio hostis voluptatem capiamus, sed quia vnicum medium est, quo ius nostrum aduersus iniustum eius turbato-rem vindicamus.* (§. 16. Schol. I.) Cum igitur odio quis illum prosequi dicatur, cui ideo male cupit, *vt ex eius infelicitate atque taedio voluptatem capiat,* Illustris WOLFIVS *in Psycholog. Empirica §. 661. qui vim aduersus hostem adhibet, non mox etiam eius odio flagrare deprehenditur.* Vnde etiam bellum geri posse absque odio hostis facile eninci potest. Odium & rectae rationi repugnat, & Christianum quam minime decet. Licet igitur bella gerere licitum sit, (§. 15.) *absque odio tamen hostis bellum geri debet.* Vnde bellum in se spectatum *amori inimicorum, quem Christiana religio tantopere vrget, non repugnat.* Vir Summus WOLF. I. N. P. I. §. 1119. & 1120. Adeoque etiam *saluo praecepto socialitatis, indeque pullulantibus officiis licentia belli in iure naturae adstruitur.* Perillustri ICKSTATT *Elem. jur. gent. L. IV. c. 4. §. 8.*

§. XVIII.

Gens libera (§. 9.) laedi (§. 7.) potest siue *vis & iniuria ipsi inferantur, siue ipsi denegentur ea, quae iure perfecto*
ab

ab alio libero populo exigere potest. Ergo in utroque casu licite bellum gerit. (§. 15.)

§. XIX.

Vbi illata laesio a gente vim passa propulsatur, versari ea in bello defensiuo dicitur: vbi vero ista armis sibi adserit, quod alio modo ab iniusto detentore consequi non potest, aut aduersus imminens periculum securitatem sibi praestat, bellum est offensiuum: Vtrumque bellum iustum bellum (§. 15.) esse posse ex antecedentibus patet. (§§. 13. & 14.)

SCHOLIION.

Belli offensiu et defensiu notio mirum in modum fatigauit ingenia eruditorum. Duos nominabo non pedarios doctrinae ciuili doctores, (ecquid enim laudis foret, Semonum errores colligere?) qui hic humani aliquid passi sunt. Alter est MARCVS ZVERIVS ROXHORNIVS, alter IACOBVS THOMASIVS. Ille in *Instit. Polit. L. I. c. 12. §. 27. et 28.* bellum defensiuum dicit, quando hostem a nostris finibus arcemus, offensiuum contra, quando hostem in proprio suo territorio prosequimur. Hic vero in *dissertatione de iure belli maiestatico §. 29.* omne bellum offensiuum iniustum pronunciat. Alterum decepti significatus Grammaticus, alterum, quod modum agendi in bello a bello ipso non distinxerit; quo obseruato facile erit vtriusque lapsum euitare.

§. XX.

Omnis quidem modus agendi in bello iusto, (§. 15.) quem ad belli finem (§. 13.) obtinendum publica utilitas & prudentia militaris exigit, ratio belli dici potest. Sed cum magna vocabulorum vis ab vsu pendeat, hoc solo magistro dicendi euenit, vt ad consilia subsidiaria duntaxat, & illud, quod vsus prudentiae militaris, ex certo consiliorum arcanorum habitu, exigente necessitate publica, in casibus extraordinariis suadet, appellatio haec referatur; in quibus praeterea hoc singulare interdum deprehendere licet, quod actiones ita susceptae absolute spectatae, & ad dictamen iuris naturae relatae, licitae iustaeque (§. 1.) non sint, iure tamen extraordinario atque
 C 2 singu-

singulari, morali iusti licitique aestimatione etiam in foro conscientiae recte exoritur, (§. 16. Schol. 2.) adeoque ad licitum & iustum extraordinarium (§. 3.) pertineant.

SCHOLIUM.

Posteriorem significatum vox *rationis belli* habet apud TACITVM *Histor. L. IV. c. 63. n. 2.* ubi Historicus excidium Coloniae Agrippinae efflagitanti militi negatum narrans, *saevitia*, inquit, *ingenii et cupidine praedae ad excidium civitatis traheretur. Obstabat RATIO BELLII, et novum imperium inchoantibus vitis clementiae fama.* In priori vero significatione SVETONIUS *in vita Tiberii c. 18.* *rationem belli nominat*, quando refert, *Tiberium in bello Germanico nihil non de conciliis sententia egisse, et praeter consuetudinem cum pluribus de RATIONE BELLII communicasse.*

§. XXI.

Atque hinc facilis iam est generalis definitio *rationis belli*, quae postea ad omnes *actiones bellicas*, siue ipsum hostem, siue socios & amicos, siue denique eos, qui neutrum partium sunt, respiciant, facta iusta applicatione quadret. Est enim *usurpatio mediorum quorundam extraordinariorum & subsidiariorum, propriorum tamen & adaequatorum, ad finem belli iusti obtinendum, ob urgentem necessitatem pro certo belli statu habituque licita vel vitilis.*

SCHOLIUM.

Ita definitur *ratio belli obiective*. *Subiective* eam definiunt VLERCVS OBRECHTVS, magnum quondam eruditi orbis decus, in dissertatione, cuius in Praefatione iam iniecit mentionem, *de ratione belli c. 1. §. 4.* quando dicit: *ratio belli est principium practicum ex certo belli statu habituque petitur, efficax ad producendam conclusionem, qua sub ratione iusti licitique excusatur vel defenditur id, quod absolute et simpliciter spectatum iustum licitumque non est.*

§. XXII.

Haec media vel *recta ratio*, &, quod ei suffultum est, *ius naturae & gentium* (§. 2. Schol. 1.) suggerit, vel *ex moribus*,

ribus, *observantia atque usu plurium populorum*, aut etiam ex *pactis*, quae ipsi belligerantes inter se inierunt, pendent. Priori casu *rationem belli* (§. 21.) rectissimo iudicio *naturalem* dixeris, posteriori vero *pactitiam*, seu *vsualem* eam cum IOH. ADAMO ICKSTATTIO, viro Perillustri, in *Element. iur. gent. L. IV. c. 4. §. 2.* nominabimus. A curata atque solerti observatione utriusque generis *mediorum iustitia armorum* aestimari inter liberas gentes solet. Vnde *iustitiam armorum cum iustitia belli* (§. 15.) nemo confundere debet. Huic enim etiam *in bello iniusto* locus esse posset.

§. XXIII.

Mores, observantia atque usus plurium populorum apud multos Doctores quidem etiam nomine *iuris gentium* veniunt, sed tamen duntaxat ad *ius gentium voluntarium* spectant, (§. 2. Schol. 2.) ad quod *observandum imperfecta* saltem inter gentes *obligatio* adest: (§. 6.) Vnde ad *vsualem rationem belli* (§. 22.) gentes solummodo *imperfecte* obligantur. Quod fecus quoad *naturalem & pactitiam*: (si modo *pactum expressum*, non vero *tacitum* supponas, quale est illud, ad quod prouocant ii Doctores, qui nimium *iuri gentium voluntario* tribuunt;) Quoniam ad *utramque ex ipso iure naturae*, id est *ex consideratione naturae rationalis & socialis* (diēt. §. 2.) tenentur.

SCHOLIION.

Praeclara prorsus est Philosophia SAM. RVFENDORFFII de I. N. et G. L. II. c. 3. §. 23. quam nostram facere et totam huc transferre non piget. Bellatores magni, ne *vsurpata omni belli iusti licentia sese et studium suum* quaerendae gloriae bellicae nimis exponerent inuidiae, specie quadam humanitatis et generositatis bellorum atrocitatem grauitatemque temperare voluerunt. Vnde orti ritus et consuetudines eximendi certas res et personas a vi bellica, itemque circa modum nocendi hostibus, *trahendi captiuos*, et quae alia sunt generis eiusdem: (quae omnia tamen maxime ad *ius gentium voluntarium* (§. 2. Schol. 2.) pertinent:) quae

consuetudines licet videantur continere obligationem ex pacto saltem tacito ortam, tamen si legitimum bellum gerens eas neglexerit, iisdemque se nolle teneri professus fuerit, modo contrarium earundem per eius naturae recte fieri possit, nullius alterius peccati arguetur, quam cuiusdam rudicitatis, quod quis sese ad numeros velut eorum non composuerit, quos bellum inter artes liberales habetur. Non secus atque imperitiae inter gladiatores accusatur, qui alterum non iuxta regulas artis vulneraverit. Igitur si quis iusta gerit bella, solo naturae iure, neglectis illis consuetudinibus, ea potest regere, nisi forte ob commodum aliquid suum easdem malit observare, ut et ipse hostem in se suorum minus saevum experiat. Adde idem sententiam HERTIVM dict. disput. de Ihero Sect. 1. §. 5. p. m. 230. Nam si quid rationis inest huiusmodi consuetudinibus, vere et apposite iis applicabis Philosophiam GROTII in Proleg. de I. B. et P. §. 18. dicentis: Sicut civis, qui ius civile perumpit utilitatis praesentis causa, id conuellit, quo ipsius posteritatisque suae perpetuae utilitates continentur, si et populus iura naturae gentiumque (rationabiles consuetudines) violans suae quoque tranquillitatis impotenter rescindit munimenta.

§. XXIV.

Conformatio actionum nostrarum ad actiones alterius dicitur imitatio. Vnde actiones imitatoris, ut ait iudiciosissimus huius aevi Philosophus, quem quia hodie superiorem habet neminem, pares paucissimos, etiam non adiecto nomine CHRISTIANI WOLFFII omnes cognoscunt, in Phil. Pract. uniuers. P. II. §. 204. effigies quasi actionum alienarum sunt, quoniam qui imitatur alterum, actiones alterius pro norma habet actionum suarum, ut alienas suis repraesentet; Sed prouti in actionum alienarum rationes inquirimus, neque imitatur alios, nisi quatenus actiones eorum rationi conformes deprehendimus, aut neglecta hac in rationes inquisitione solam ob hanc causam agimus, quia idem agunt alii, imitatio alia rationalis est, alia empirica, dict. Phil. Pract. uniu. l. c. §. 208.

SCHOLIION I.

Vltimum iure suo cecum dixeris, nec periculo carere affirmaveris. Recte enim SENECA epist. 127. inter causas, inquit, malorum nostrorum est, quod vivimus ad EXEMPLA, nec RATIONE componimur, sed

CON-

CONSUETVDINE abducimur. Quod, si pauci facerent, nollemus imitari, cum plures facere coeperunt, quasi honestius sit, quia frequentius sequimur; et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. Vnde cum in ratione belli vsuali gens vna alteram imitetur, (§. 22.) quaedam ratio belli vsualis mox prudens dici poterit, mox coeca, nominanda erit.

SCHOLION II.

Vfus harum distinctionum insignis prorsus est. Quod si enim ignores, quid ratio belli naturalis, quid vsualis sit, (§. 22.) saepe numero causam ignorabis, cur hoc vel illud contra iustitiam armorum pugnare gentes nonnullae asserant, cuius rationem sufficientem ex iure naturali et gentium, quod diuinum diximus, (§. 2. Schol. 1.) etiam eruditissimorum virorum nullus facile demonstrauerit. Si vero nescieris, quodnam inter prudentem et coecam rationem belli (Schol. praec.) discrimen intercedat, aqua tibi haereat necesse est, quando etiam inter ipsas gentes, quas rectus rationis vsus cicures reddidit, tantum quoad rationem belli vsualem diffensum deprehenderis.

§. XXV.

Prouti porro finis belli (§. 13.) sic etiam ratio belli (§. 21.) alia vniuersalis est, totius belli compositionem, alia particularis, singularum actionum bellicarum felicem exitum intendens.

SCHOLION I.

Quare denuo patet, etiam ex ratione belli tantundem duntaxat, in bello licitum esse, quantum finis belli iusti permittit (§. 16. Schol. 2.) et non modo cerebrinam atque coecam, (§. 24. Schol. 1.) verum imprudentem prorsus, quin immo impiam fore belli rationem, qua illud committeretur, quod neque ad vltimum, neque ad intermedios belli fines facilius obtinendos vim et efficaciam aliquam haberet. Vnde operam inter gentes vsu rationis facta sua metientes perderet et oleum, si quis supra violenta, ratione belli ideo excusare vellet, quoniam fuere interdum bellici Duces, qui quasi in praemium victoriae et fortitudinis haec militibus suis permiserunt. Longe aliud docet GROTIUS de I. B. et P. L. III. c. 4. §. 19. Nec apud gentem recutitam tale quid licitum fuisse IOHANNES SELDENVS de iure naturae et gentium iuxta disciplinam Flebracorum L. V. c. 13. euincit.

SCHO.

SCHOLION II.

Iterum huc transcribenda erunt verba immortalis GROTIJ de I. B. et P. L. III. c. 11. §. 19. qui omnes commissiones, quae ad ius consequendum, aut bellum finitendum nullius sunt usus, sed meram habent virium ostentationem propositam, et cum officio Christiani hominis, et cum ipsa humanitate pugnare asserit, adiecto monito, quod serio haec vitare debeant Rectores ciuitatum, inutiliter suscipere sanguinis rationem ei reddituri, cuius vice gladium gestant. Ex eodem etiam fundamento alio loco scilicet L. III. c. 18. §. 4. tales praedationes, quae non hostium vniuersitati, aut Regi, aut his, qui per se fontes sunt, sed innocentibus nocent, et quidem adeo, ut eos detrusurae sint in summas calamitates, in quas etiam eos, qui priuatim nobis debent, conticere immisericordias foret, damnatae, praecipue si hoc accedat, ut eae depraedationes neque ad finem bello imponendum, neque ad hostium publicas vires accidendas notabile aliquod momentum habeant, quae solum Christiano indignum ratus, qui ex sola temporum infelicitate percipitur.

§. XXVI.

Quaecumque autem sit belli ratio, ea omnis ex certo belli statu atque habitu, ob quem media haec extraordinaria et subsidiaria (§. 21.) sola adaequata sunt, & ad finem belli vel vniuersalem, vel vniuersali subordinatum, & particularem (§. 13.) obtinendum certissima tutissimaque via ducunt, desumitur. Vnde etiam iniusti licitique (§. 1.) aestimationem, qua contra communes iniusti licitique regulas interdum gaudet (§. 20.) non tam ex personae agentis aut causae fauore, vel ex emendatione qualicumque iuris vniuersalioris ob inclinationem circumstantiarum suscepta, quam quidem ex hoc ipso belli habitu et praesenti necessitate, cuius imperium praecipue in bello dominari consuevit, accipit & mutatur.

SCHOLION.

Ergo semper in ratione belli quasdam rationes consilii et suasionis cum lege aliqua iuris stricti vel aequitatis collidi qui non vident, in luce meridiana caecutiunt.

§. XXVII.

Per habitum belli (§. 26.) hoc loco intelligimus conditionem

tionem quamcumque rerum ac negotiorum bellicorum, ex qua *actualis armorum* (§. 11.) aliorumque *fines belli* (§. 13.) promouentium *mediorum* determinatio pendet: Per *necessitatem* autem eiusmodi conditionem siue statum, ubi *vnus* saltem *agendi modus* superest, ita tamen comparatus, vt cum lege in se spectata pugnet, indigitamus.

SCHOLIION I.

Quilibet etiam silentibus nobis facili comprehendere poterit negotio, non intelligere nos hoc loco *metaphysicam* aliquam *necessitatem*, sed quam nomine hoc dicimus *communiter*. Quemadmodum CICERO *L. II. de inuent.* *Vt hominus cibo utantur*, inquit, non *NECESSE est*, nisi cum illa exceptione, *extra quam si nolint fame perire*, atque alibi: *Quod permagni interest*, pro *necessario* saepe habetur.

SCHOLIION II.

Haec *necessitas* suos habet *gradus*, vt alia *extrema*, alia *maior*, alia *minor* ex rerum causarumque diuersitate appelletur. Vt autem *ultimus* semper *necessitatis articulus* sumatur, cum vocabulum hoc auditur, ratio nulla postulat, ceu iam monuere ALBERIC. GENTIL. *de I. B. L. l. c. 13. p. 93. et 96. et BOECLER. in Comm. ad Grotium L. l. c. 1. p. 137.*

§. XXVIII.

Nos in praesenti argumento potissimum diuidamus *necessitatem* (§. 27.) in *absolutam*, quam etiam *simplicem* recte nomines, & *respectiuam*, quam CICERO, vel quisquis auctor est librorum *de inuentione*, qui sub eius nomine circumferuntur *L. II. c. 57. necessitatem cum adiunctione* nominat, & quae commode etiam *necessitas finis* dicitur. In illa nullus alius datur expediendi se ex praesentissimo periculo modus, quam vt *violatur iustum, honestum, decorum*; (§. 1.) in hac adsunt quidem modi alii *quaerendae salutis*, sed non aequae *tuti, faciles, certi*, minimum ille ipse, qui in *necessitate* huiusmodi *respectiua* versatur, *alium agendi modum* non perspicit.

D

§. XXIX.

§. XXIX.

Possè aliam necessitatem (§. 27.) veram esse, aliam imaginariam verbo annotasse sufficit. Imaginariam necessitatem non sufficere, vt rationi belli viam sternat, nemo credo ibi inficias. Licet enim CICERO L. I. de officiis dicat, illas iniurias, quae nocendi causa de industria inferuntur, saepe a metu proficisci, cum is, qui alteri nocere cogitat, timeat, ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo; reſtior tamen est Philosophia GROTII: Quippe ita vita humana est, vt plena securitas nunquam nobis constet. Itaque aduersus incertos metus a diuina prouidentia, & ab innoxia cautione, non a vi praesidium petendum erit. de I. B. & P. L. II. c. 1. §. 17.

SCHOLIION.

CICERONI L. II. de inuent. c. 58. alia necessitas dicitur honestatis, alia incolumitatis, alia commoditatis, cuius mentem latius explicant BOECLERVS in Comment. ad Grot. L. I. c. 1. p. 137. sq. et L. II. c. 2. p. 65. sq. et RYFFENDORFFVS de Iur. Nat. et Gent. L. II. c. 6. §. 1. sq.

§. XXX.

Nihil igitur proprie ex ratione belli excusatione opus habet, nisi quod propter praesentem necessitatem, bellique habitum (§. 22.) iustum fiat, cum extra hanc considerationem esset iniustum. Vnde hostes interficere, bonis spoliare, eorundem res & publicas & priuatas auferre, consumere, ac, si usus fert, corrumpere atque vastare, non tam ex ratione belli concessa sunt, quam necessariae sequelae violentae defensionis, quae in bello fit, habentur. (§. 16. Schol. 1.)

§. XXXI.

Quando igitur diximus habitum belli & necessitatem (§. 27.) contra communes regulas liciti & iusti (§. 1.) actionibus quibusdam iusti atque liciti qualitatem indere, (§§. 20. & 30.) id non adeo crasse accipiendum, quasi existimemus, habi-

habitus belli ac necessitatem formare & dirigere ipsam iusti atque liciti naturam, quam in ratione belli deprehendimus. Iustum enim ac licitum hic non mutatur, sed quae mutatio adest, circa obiectum saltim & res occurrit, (§. 26.) quoniam deductis in certum statum negotiis bellicis eae actiones iusto atque recto contrariae esse desinunt, quae secundum hunc bellicorum negotiorum statum habitumque ad finem necessarium, tamquam media propria & adaequata coordinantur. OBRECHT cit. diff. de ratione belli c. 2. §. 3.

§. XXXII.

In moralibus ea, quae ad finem ducunt, aestimationem accipiunt ab ipso fine. GROTI. de I. B. & P. L. II. c. 7. §. 2. L. II. c. 14. §. 11. L. III. c. 1. §. 2. Et necessitas finis facit ius ad media, sine quibus ille finis obtineri non potest; ceu prius euciderunt viri harum scientiarum intelligentissimi. Ergo quae ob rationem bellicam fiunt, actiones, licet extra hunc negotiorum bellicorum habitum (§. 27.) ac ineluctabilem necessitatem (§§. 28. & 29.) adeoque citra huiusmodi obiecti rerumque mutationem (§. 31.) nota iniustitiae non carerent, (§. 30.) tamen siue eas in se spectes, siue ad agentem respicias, ab omni iniquitatis & peccati labe liberae sunt & immunes. (§. 20.) GROTIUS de I. B. & P. L. I. c. 1. §. 10. PVFFENDORFF de Iur. Nat. & Gent. L. I. c. 4. §. 9.

SCHOLIION.

Vis enim necessitatis, ut ait BODINUS de republ. L. V. c. 5. tanta est prementibus armis, ut, quae iniusta sunt, videantur iustissima, quoniam omnis est honesta ratio expediendae salutis CICERO. Orat. pro Milon. Alia quam plurima ex iis, quae a veteribus sapienter et egregie dicta fuere huc quadrant. Praecipue recte docet CLAUDIANUS, quando ait:

- - - - -
suprema pericula semper
dant veniam culpae:

et Nutrix Deianiram intellecta funesta Herculis morte sibi violentas manus iniicientem consolatura apud SENECAM verissime dicit:

Haut est nocens, quicumque non sponte est nocens.

Vnde etiam Athenienses suo ad Bocotos caduceatore misso apud THYCYDIDEM L. IV. vrgent: *Omnino credibile esse, quicquid aliquis bello aliaue necessitate coactus faciat, id veniam etiam apud DEOS mereri: etenim inuitis delictis ad aram profugium esse, et sceleris nomen iis imponi, qui nulla necessitate cogente flagitiosi sunt, non qui aduersis casibus ad audendum aliquid compellantur.*

§. XXXIII.

Dantur quaedam absolute illicita & iniusta, ita vt nullo vnquam tempore licita fieri possint, quales sunt omnes, illi turpes actus morales, qui ita naturae sociali, rectae rationi, vel verbo diuino reuelato inter nos, qui CHRISTO nomen dedimus, sunt contrarii, vt quemcumque statum hominis supponas, prohibitio semper maneat eadem. v. g. DEI abnegatio, perfidia, stupra virginum & matronarum. Item si quis rebus & incantationibus magicis hostem suum vellet perdere, aut scorta contagiosa castris immitteret, quo turpi eorum contractu inficiantur milites. Perillustris D. ICKSTATT in *Elem. iur. gent. L. IV. c. 4. §. 12.* In his igitur committendis nihil valet ratio belli. Neque enim quicquam nobis aequae curae cordique esse debet, quam ne offendamus DEVM, quem certe grauiter offendimus, quoties in rectam rationem & naturam socialem peccamus, & hinc egregie prorsus verissimeque GROTIUS dixit: *foederae patriae quidem causa facienda esse, Proleg. de I. B. & P. §. 23.*

SCHOLION I.

Tantum igitur abest, vt pro defendenda ratione belli ad Philosophiam LAMBERTI VELTHVYSII prouocare velimus, qui in *dissert. de principijs iusti et decori*, quae in *Parte II. opusculorum eius Roterdami editorum* conspicitur, p. 1001. ait: *Quicquid sua natura MALVM EST, ITA VT NUMQVAM BONVM FIERI POSSIT, illud per accidens sequi potest ad usum aut defensionem iuris mei extra peccati labem; neque ideo teneor temperare ab usu iuris mei: vt potius fateamur ingenue, crassam hanc Philosophiam Hobbessianam pridem iam damnasse*
Sacrum

Sacrum Codicem, quando mala faciendā non esse, ut bona inde cūeniant, docet epistola ad Romanos III, 8. Nec vllus Philosophorum hodie adeo rudis est, quin assurgat doctrinae, quam qui moralia tradunt, vberius illustrant: PRAESTARE etiam in ipso casu collisionis legum (quid ni ergo multo magis in casu collisionis legis et utilitatis propriae, qualis saltem in ratione belli vt plurimum adesse solet, (conf. §. 26. Schol.) ACTIO- NIS BONAE (adde iam vtilis) OMISSIONEM, QVAM TVRPIS CV- IVSDAM, LICET AD BONVM FINEM (iterum suppone, finem nobis vtilem) TENDAT, COMMISSIONEM.

SCHOLIION II.

Equidem, quae de scortis hic diximus, a nonnullis excusari noui. Quodsi enim inquit, ex eorum in castra hostium immisione etiam damnum sentirent, qui nobiscum bella gerunt, sentirent tamen illud magis ex sua culpa, quam dolo eius, qui lupas has atque quadrantarias mulerculas castris immittit. Esse enim aiunt, hoc stratagematum genus, ex numero eorum, quae evitari possent facile, si, qui castris praesunt, seuera disciplina militari milites suos in officio honeste vellent continere. Nam Turcicos milites in castris summam continentiam in cibo et Venere seruare, neque tentigine illicita quempiam facile eorum enervari, VBERTVS POLIETA, AVGERIVS BVSBEQVIVS, PETRVS BELLONVS, alique, qui superioribus saeculis de causis perpetuae Turcarum in bellis felicitatis memoriae aliquid prodiderunt, in summam Christianorum militum ignominiam testes sunt. Sed bona verba, quae- so! quasi scilicet scopus et intentio immittentis in se spectata non peccatum esset. (§. 32.) Eequid enim fieri ille optat, qui prostibula subornat, vt adhibitis quibusuis illecebris fascinationibusque turpissimis hostium castra peruagentur, corporaque sua publicent, quam actum moraliter turpem et a quo recta ratio abhorret. Nolo iam cum SCIPIONE AMI- RATO Libr. XI. dissert. Polit. f. discurs. ad Tacitum c. 4. disputare: an nostris temporibus sperandum, vt exercitum bene institutum videamus? Nimis longe enim hoc a scopo nostro recederet; Verum illud duntaxat vrgeo, an non scopus minuendi vires hostium, quem alter ita intendit, mediis licitis, obtineri debeat? quod si enim hoc negarent dissentientes, contra eos non disputabimus, quoniam iam reuera produnt, se profus ignorare, quid sit ratio belli. Sin vero affirmabunt, quae sumus, legant iterum et perpendant secum illam Moralistarum doctrinam, in Schol. praeced. inculcatam, et desinent profecto factum tantopere a morum honestate alienum excusare. Caeterum Hispanos in obsidione Neapolitana hoc stratagemate vfos, si verum est, quod ex FALLOPIO Medico narrat ALBER. GENTIL. de I. B. L. II. c. 6. p. 258. nil probat, cum in

quaestionibus iuris non attendere debeat iudex, quid crebro ab aliis factum sit, sed quo iure agentes hoc vel illud fecerint?

SCHOLIION III.

Cum igitur *ratione belli* excusari possit nihil, quod in se spectatum *iniustitia* aliqua et *turpitudine morali* laborat, merito autem *perfidiae* et *criminis alieni* ministerium agere pro re et abiectionissima et turpissima habeatur: nulla *ratione belli* excusabitur, si quis subditorum hostilium fidem erga legitimum suum dominum labefactare, eos ad rebellionem et defectionem incitare, ministros arcanorum consiliorum bellicorum gnaros et duces bellicos pecunia corrumpere, et ad proditionem sollicitare audeat. Et licet, qui defendere hoc volunt, insistenti territorio agat; nosque hoc ipsum concedamus quidem, si modo talis sit *explorator*, qui *hosti* nulla *sacramenti religione* sit *addictus*, sin autem *fecus*, negemus illud et pernegemus: tam vim conclusionis ab *exploratione* licite tentata ad *prodicionem* nullam videmus.

§. XXXIV.

Quicquid *ultra necessitatem moraliter certam* fit, *excessus* dicitur: *Sola* autem *necessitas*, eaque *vera*, non *imaginaria* (§. 29.) facinoribus ex *ratione belli* excusandis locum facit, (§. 26. & §. 30.) ergo nec *ratione belli* excusari possunt, quae *excessum* sapiunt.

SCHOLIION.

Quemadmodum virtutem ipsam Aristotelici certo modo recte in *mediocritate* posuerunt, et quicquid *eandem* excedit, *vitiu*m esse dixerunt; *licentia* autem et *iniustitia* in bello hos *mediocritatis* limites non modo non respuit, verum curate obseruatos vult, ita etiam ex hoc argumento omnis *excessus* quoad *rationem bellicam* pro *vitioso* declarari posset; quamuis spinosam illam et multis difficultatibus scatentem doctrinam de *mediocritate* in *virtute* obseruanda illis defendendam relinquamus, quibus lingere sputum Magni ARISTOTELIS in deliciis est.

§. XXXV.

Datur autem quoad facta, quibus *ratio belli* praetexti solet, potissimum duplex *excessus*, alius *in re*, alius *in intentione*.

rione. Prior dicitur, vel quando tale quid fit, in quo *tur-*
pis actus moralis occurrit, (§. 33.) vel quando plus agitur,
 quam siue ad cautionem nostram & securitatem, siue ad
 nocendum hostibus necessarium est; qualis etiam adest,
 ubi quis *ob solius potentiae, quam cottidie in vicino suo, ut nullis*
malis artibus, nulla vicinorum oppressione iniusta crescere cernit,
metum ac suspensionem animum armatum habet: Licet enim
 non audeamus, huiusmodi bella tamquam *absolute iniusta*
 damnare, quorum *iustitiam* iam eicere alii, BOXHORN.
Instit. Polit. L. I. c. 12. §. 6. GVNDLINGIANA P. V. c. 1.
Tom. I. p. 381. seqq. BVRGOLDENSIS notit. Imp. Rom. Germ.
T. I. p. 1. Discurs. 12. p. 287. omnem tamen eorum iustitiam
 ex *probabili & moraliter certa suspitione futurae oppressionis*
nostrae pendere persuasi sumus, de quo vero hoc loco prae-
 cise agere non vacat. Posterior apparet, quando aliud
 quidpiam, quam ipsa *necessitas* magis atque fortius agen-
 tem impellit, v. g. ubi quis *folius vindictae studio* flagrat,
 item ubi quis *avaritia, ambitione, vel etiam crudelitate* mo-
 uetur, ut *in bello iusto* ita nec aliter agat, quod iterum iis ad
 aurem insufurrandum putamus, qui *infinitam* illam in bello
licentiam, quam supra (§. 16. Schol. 2.) iam oppugnauimus,
 quibusuis facinoribus excusandis praetexunt.

SCHOLION.

Probabilem huiusmodi et moraliter certam suspitionem Romanos in
bello olim contra Mithridatem suscepto fuisse ALBER. GENTIL. *de*
J. B. L. I. c. 13. p. 93. dicit, cuius locum non ideo adscribimus, ut iam
 defensi belli Mithridatici causam nostram faciamus, sed ut ostendamus,
 conuenire ALBERICO cum eruditissimis supra citatis. Neque enim ait, *ex-*
spectare sapienter (Romanos) oportuisse, dum ille Mithridates maximos
 belli apparatus faciens *hostem professus se esset, at in facta illius respici,*
quam in verba magis; quam ipsam suam sententiam *utilem esse defen-*
sonem, dum mouemus nos bellum, verentes ne ipsi bello petamur, per to-
 tum caput XIV. postea persequitur, et multis, ut solet, veterum argu-
 mentis atque exemplis adstruit, *Principibus potentibus et ambitiosis ob-*
uiam

niam eundem, qui nullis contenti finibus omnium aliquando fortunas tandem inuadent; Quin immo defensionem iustam esse, quae praeventi iam meditata, parata; etiam et nec meditata, at verisimilia tamen et possibilia. Neque tamen hoc simpliciter et citra respectum ad alias quascunque circumstantias fortiores se dicere credi vult. Vnde mox subiungit, *Principi, cuius potentia augetur successibus, electionibus, bellum ideo, quod nimis fieret potens, iuste non inferri.* De AVGVSTADOMO AVSTRIACA, quam iam per duo saecula Christiani orbis contra Turcarum tyrannidem propugnaculum et munimentum esse voluit diuina prouidentia id certum, omne eius late patens imperium ita acquisitum, vt nemini inde suspicio futurae oppressionis iuste subolere possit. Et ingeniose fati quisque fit Poëta in eam eiusque incrementa modulatus est:

*Bella gerant alii, Tu, felix Austria, nube,
Nam quae Mars aliis, dat Tibi sola Venus.*

§. XXXVI.

Officia quibus liberae gentes inuicem constringuntur, aequae ac quae singulis hominibus incumbunt, vnius eiusdemque generis non sunt. Alia enim praestari debent ex legibus iuris stricti, alia ex solo sensu humanitatis, rursus alia ex regulis prudentiae & decori. (§. 1.) Quoniam limitatae sunt vires gentium, ita vt rebus diuersis simul agendis non sufficiant, officia haec multiplicia, quae praeterea haut raro peculiariae rationes urgentis necessitatis circumstant, simul ad actum deduci non semper possunt, sigillatim possunt. Haec impossibilitas in causa est, cur recedendo ab eo, quod pro praesentibus rerum circumstantiis explere non poterant, officium violasse dici nequeant. Vnde cum officiis iuris stricti cedere regulariter debeant, officia humanitatis, decori vel prudentiae, ceu id a Philosophiae moralis Doctores toties iam inuictis argumentis probatum demonstratumque nouimus, adeoque tamquam veritas concessa iure optimo a nobis assumitur; etiam ex hoc argumento licite interdum ex ratione belli aduersus decori & humanitatis regulas aliquid fieri posse patet.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Inter multiplicia officiorum genera, ad quae *gentes erga se inuicem obligantur* (§. 36.) nullum tamen est, quod illis praeferi possit officiis, quae *sibi*met ipsi gens quaelibet debet. Quemadmodum enim huiusmodi officia *ex studio propriae conseruationis & desiderio felicitatis*, quod peraeque apud integros populos, quam apud singulos homines deprehendere licet, (§. 12.) fluunt, ita eadem hic valet demonstratio, quae pridem a Philosophis facta est, qui veritati, quod *amor bene ordinatus a se ipso incipiat* locum debitum in doctrina morali vindicarunt: Exscribere ratiocinia eorum in re adeo certa nimis foret taediosum. Ergo etiam *ob praeceptum liberis gentibus propriae conseruationis & felicitatis studium rationi* locus esse debet.

SCHOLION I.

Licet igitur ea, quae *ex iure gentium voluntario ad rationem belli* referuntur, sancta religione inter gentes iusto morum temperamento nobilitate custodienda essent, tamen *si necessitas, in quam gens aliqua in bello iusto adduceretur*, eius foret generis, ut v. gr. in periculo praesentissimo (in quod vel prudentia bellica et calliditate hostis, vel infortunio suo atque victricibus partis alterius armis praecipitatum se videt.) aut copiis suis cum magna ciuitatis iactura pereundum, vel munimentum, ex quo iterum toti genti damnum imminet, potestati hostium relinquendum foret, etc. aut *consuetudo huiusmodi et usus belli receptus* immutari deberet, *nulla amplius eius superesset obligatio*. Non enim videtur probabile, *vllam gentem liberam ratione praeditam receptione huiusmodi moris, tacitoque illo*, quod iuris gentium voluntarii amissiones atque parastatae crepant semper atque in ore habent, *pacto ita sese voluisse obstringere, ut agat, quae conseruationi suae libertatis atque incolumitatis plane sint contraria*. Pugnaret hoc non solum cum *desiderio felicitatis*, quo integras etiam gentes flagrare nouimus Sapientissimo totius vniuersitatis arbitrio, DEO, rem ita ordinante (§. 12.) verum totam illam *legem naturalem, quae conseruationem sui ipsius cuius primario inculcat, destrueret*, quin immo contra praeceptum DEI probaret, *magis nos hostem, quam nosmet ipsos amare debere*. Quod omne *naturae humanae*, prouti illa a Sanctissimo Creatore suo condita est, foret impos-

E

impos-

impossibile. Vt iam nihil dicamus, quam facillimum sit, ex natura legis perfectivae (dict. §. 12) sententiam nostram latius deducere. Quicquid igitur vis atque potestatis iuri gentium voluntario inest, id omne solummodo de eo casu intelligendum, si talis adest occasio, ut cum salute nostra conservanda nulla ratione pugnent officia ex eius discrimine hostibus praestanda. Vnum huius observationis tractatio specialis vberius fiet.

SCHOLION II.

Ex his patet, quale inter *illicita secundum ius naturae talia*, (§. 33) et *illicita*, quae ex iure gentium voluntario descendunt, discrimen sit. Quae enim ex iure naturae dicuntur *illicita*, quoniam solum eorum oppositum rectae rationi et naturae sociali convenit, certa sunt et perspicua, nec probatione indigent: secus vero, quae ex iure gentium voluntario promanant. Unde qui ad ius gentium voluntarium provocat, intentionem suam argumentis idoneis probare debet. Nec hic sufficere dixisse, tale quid antea factum non esse. Praeterquam enim, quod arduum nimis sit negare, nullum esse exemplum in tanta factorum infinitate, argumentum negativum ab exemplo infirmissimum sane et nihili prorsus mihi visum est semper. Possunt enim esse facta, neque ad nos pervenisse, possunt pervenisse et latere. Ignorat enim Principum potentiam, ait ALBER. GENTIL. in Discursu de unione Regnorum Britanniae p. n. 52. qui illis non putat aliquando licere, nisi quod aliam fecerunt. Et eam oculis non ratione intuentur, dum pronunciant insolitum, si facit nunc Princeps, quod factum antea non est. Et recte iam TACITVS annal. L. II. Omnia, ait, quae vetustissima creduntur, nova fieri, atque LIVIVS L. IV. Quid postea? Nullam res nova institui debet? Et quod nondum est factum, id, ne si utile quidem sit, fieri oportet? Nec absurde forte ratiocinatur, qui illa, quae SENECA de rebus naturae bellissime dicit, hic ad facta huiusmodi liberarum gentium applicabit. Ita autem ille L. VI. nat. c. 7. quare quidquam nobis insolitum est? quia naturam oculis, non ratione comprehendimus. Nec cogitamus, quid illa facere possit, sed tantum quid fecerit. Ignorat naturae potentiam, qui illi non putat aliquando licere, nisi quod saepius facit.

§. XXXVIII.

Famosus est apud Iureconsultos canon: frustra leges implorat, qui contra leges peccat; quem etiam nos in praesenti tractatione adoptare minime dubitamus. Sic igitur ratio belli ex fine belli, (§. 25.) ex habitu belli & necessitate praesenti,

senti, (§. 26.) ex collisione officiorum, quae gentes sibi debent, (§. 36.) immo ex dictamine rectae rationis, quod nostram nobis conseruationem serio iniungit (§. 37.) licita, nemo tamen re. Ee ad eandem prouocabit, nisi etiam in bello iusto (§. 15.) verferetur. Vnde ei qui iniustum bellum gerit, nulla vquam ratio belli patrocinatur.

SCHOLIION I.

Atque hinc patet, cur a nobis supra (§. 15.) non sine ratione asserta fuerit belli licentia: Quodsi enim siue iure naturali, siue lege diuina Christianis reuelata bellum quoduis illicitum foret, inepte de ratione belli institueretur disputatio. Quod ideo monemus, ne quis in praemissis nimium prolixos nos fuisse temere nos accuset. Eadem est ratio, cur diuisionis belli in offensuum et defensuum (§. 19.) iniicienda erat mentio, quoniam in vtroque locus esse potest rationi belli, quod rite non fieret, si alterutrum, ceu IACOBVS THOMASIVS (i. c. Schol.) existimauit, foret sua natura iniustum, legibusque rectae rationis et socialitatis aduersum.

SCHOLIION II.

Recte demonstratum nouimus ab Illustri WOLFIO P. I. I. N. §. 112. quicquid in bello iniusto sit illicitum esse, qua in re iam pridem viro Summo praeiuit Vindex et Restaurator ille iuris naturae et gentium, immortalis GROTIUS, quippe qui, prouti vera Numinis reuerentia tactus pleraque scripsit, de I. B. et P. L. III. c. 10. §. 3. rectissime obseruat, si belli causa iniusta sit, etiamsi bellum solemniter modo sit susceptum, iniustus esse interna iniustitia (quae apud DEVM reos facit, etsi humano foro excusatos) omnes actus, qui inde nascuntur, ita ut qui scientes tales actus operantur, aut ad eos cooperantur, (operam suam Principi iniustum bellum gerenti praestando) habendi sint in eorum numero, qui ad regnum coelestis sine poenitentia peruenire non possunt. Ad quem locum recte notat OBRECHT dict. diss. de ratione belli c. 4. §. 1. quod intuitu Receptorum ciuitatum, qui ipsi bello iniusto causam praebuere, longe seuerior in foro poli sit imputatio, quippe quibus etiam imputantur actus vel a mere inuitis, vel ab ignorantibus perpetrati, tamquam qui perpetrati non fuissent, nisi ab ipsis iniusto bello causa fuisset subministrata. Vnde quantopere natura abhorreat, ut quis alteri bellum iniustum gerenti opem ferat, vel auxilium manifesto patet: Ipsa quippe naturalis ratio dicliat: quod quicquid alius quicumque in gratiam eius qui bellum iniustum gerit, facit, licitum non sit, sed iniustum; et hoc ipso illi iniuria fiat, ex cuius parte

parte iustum bellum est. Illustr. WOLFIUS l. c. §. 115. Quod omne
vbi prono alieo ex regula alibi (scilicet L. II. c. 17. §. 12.) a GROTIUS
inculcata: qui de actu tenetur, simul tenetur de his, quae illum ex actu
vbi sunt consecuta sunt, ita optandum esse serio, vt haec veritas auro
pretiosior clauo trabali castris omnibus affigatur.

§. XXXIX.

Licet autem nemini, qui bellum iniustum gerit, ex ra-
tione belli facta sua defendere salua fronte licitum sit, (§. 38.)
attamen (quoniam bellum ab vtraque parte iustum esse potest,
quin immo pro tali regulariter habetur; (§. 15.) atque hinc
vtrique belligeranti populo, quippe quorum neutri vbi ius
suum negatum sibi, seque laesum queritur, iudicis alicuius
adeundi copia in hoc mundo superest, (dict. 15.) idem fauor
violentiae defensionis, pariaque armorum iura contra hostem
suum competunt,) quoties ab vtraque parte de belli iustitia
moraliter certa vel etiam probabilis persuasio adest, neutri
etiam negatum esse credimus, quominus omne illud iure
suo agere possit, quod ex ratione belli fieri licet.

SCHOLION I.

Ius igitur defendendi se in bello, et licentiam hostibus vtrinqve nocendi
nos inde solum deducimus, quia ex opinione tam propria, quam gentium
aliarum bello haut implicitarum ab vtraque parte bellum iniustum esse potest,
qua in re idem nobiscum sentit Perillustis ICKSTAT in Elem. iur. gent.
L. IV. §. 5. Schol. Ast si ALBER. GENTILEM audis, is de I. B. c. 13.
p. 94. sq. longe aliter sentit; dum etiam hosti manifeste iniusto iura de-
fensionis omnemque resistendi licentiam tribuit. Res enim, inquit, vt
nostras defendamus, necessaria et iusta causa, etiamsi bello petiti bellum
promeriti nos essemus, - - quoniam ius, siue vis belli non finitur consecu-
tione prius expetitorum, at pro victoris arbitrio ambulat, - - hoc vero
arbitrium refugere omnes non subditi possunt iusto, et ergo se aduersum
armis defendere - - Exceptio, quod ipse fuerit causa inimicitiae, non
obstat petenti, cauere sibi non offensum iri. - - Et itaque recta mihi Ro-
muli dicitur causa, qui aduersus ingruentes Sabinos bello se defendit, etsi
quoque dederit ipse causam bello et offensionis, dum mulieres sine more
rapuit. At enim vero si ex principiis ratiocinemur, procul dabo
conce-

concederet nobis ALBERICVS GENTILIS, defensionem legitimam omnem in propulsanda iniuria versari debere, adeoque cessare, vbi nulla alteri infertur iniuria. Iam vero quo pacto dici poterit, cum, qui belli causam praebuit, pati iniuriam? Si hanc non patitur, quo iure, quae so, profligare studebit eandem? Vnde iam sicuti ex erroneo principio non nisi erroneae conclusiones fluere possunt, ex falsa hac hypothefi sua falso infert ALBERICVS l. c. e. 16. p. 121. defendi quoque in bello posse hos, qui sunt iniusti, - - quoniam ea in bello iniquitas est, vt idem sibi in sua causa ius dicere velit, adeoque alius Princeps hoc praetextu auxilium contra ferre possit, vt ciuilius res sine armis componatur. Rationes, quibus hanc sententiam suam propugnauit, paucissimae sunt, et infirmae satis, quas vide p. 123. sq. licet iis ita sibi placeat vir caeteroquin doctissimus, vt etiam subditos alienos contra Dominum suum defendendos esse existimet, si vel maxime illi iniusti essent, dummodo id fiat sub sine facultate immoderatiois et poenae inclementioris depellendae, postquam nec inhumanum est, vel his facere bene, qui deliquerunt. Quam sanior et rectior iterum GROTII Philosophia est, qui praeter ea, quae (§. 38. Schol.) dicta fuere, de I. B. et P. L. II. c. 1. §. 18. docet, solum hunc metum, quod pauci contenti sint, tantum reponere vindictae, quantum acceperunt iniuriae, ius defensionis a parte laedentis legitimum non reddere, quoniam metus rei incertae ius ad vim dare nequit: vnde nec reus criminis ius habet publicis ministris capere se volentibus per vim resistendi ob metum, ne plus aequo puniatur. Quare iam addit vir Summus, tunc demum pia esse eius, qui in alium peccauit, arma, quando primum ei, quem laesit, obtulit satisfactionem boni viri arbitrata, (quae vt plenissima dici possit, procul dubio necesse erit, vt causam in bello subnascentium (§. 14.) iusta habita fuerit ratio, HENRIC. HENNIGES obseruat. Polit. et moral. ad Grot. p. 343. sq.) laesus autem, postquam aequa omnia oblata, tamen sine ob elatum et superbum animum, sine ob vindictae studium ultra tenderet. Sic enim demum bonam causam a laeso transire ad laedentem palam fit.

SCHOLION II.

Caeterum fieri posse, vt vtraque pars ex iusta causa bellum gerat, singularis prorsus opinio videtur iis, qui *res iustum* in speciali acceptione ratione operis sumunt. Quemadmodum enim ex omnibus propositionibus contradictoriis vna saltem vera, altera contra falsa esse debet, ita sibi consecutionis necessario patet, inter duos litigantes alterum semper iustam, alterum iniustam causam fouere. Ast salua res est; quod enim, vt ex acceptione iusti ratione operis affirmes, foret impossibile, evidens sit, certum, ac verissimum, si iustum respicias ratione operantis (de qua

distinctione consulatur GROTIUS de I. B. et P. L. II. c. 23. §. 13. Iam enim res controuersa, quae bello causam praebuit, tam potest esse ambigua et incerta, ut uterque *iustam* fore postulationem suam non persuasus saltem, verum conuictus esse queat; adeoque cum *inuincibilis* adsit ignorantia, utraque pars re vera culpa vacat. Exemplum iurium forensium rem claram reddet. Quot ibidem non habemus propositiones dubias, incertas, ambiguas, ut etiam summa ingenia virorum togatorum grauissimas a se inuicem dissentendi rationes allegare possint, quin immo pronunciando sententiam in diuersa plane abeant? Res huc redit, ait ZIEGLERVS in not. et animaduers. ad Grot. p. 505. controuersiam hanc euoluens, in controuersis tum priuatis tum publicis *iustitiam* causae penes unam tantum partem consistere. Vti autem in priuatis litibus utraque pars iuste causam tueri potest, non obstante, quod una tantum ex parte causa iusta existat, ita et in bellis publicis inconueniens non esse, ut cum ex una parte sit ius, ex altera ignorantia inuincibilis, ex utraque parte bellum iuste geratur. FRANCISC. A VICTORIA relect. Sect. 3. n. 6. relect. 6. n. 32. 33. Ita ergo si quis teneat prouinciam cum probabili ignorantia, credens eam suam esse, et alter, qui verus dominus est, eam repetat, non minus ille bello eam iuste defendere, quam hic vindicare poterit.

§. XXXX.

Sed nec prudentia, nec iustitia, mediis extraordinariis ad felicitatem nostram stabiliendam promouendamque locum facit, nisi ubi ordinaria media omnia deficiunt. Sunt enim media ordinaria, ea ipsa, quibus facillime certissimeque bonum consequimur, malum declinamus; extraordinaria autem media dicuntur, quae vel maiori cum periculo, vel longiori ambage & maioribus difficultatibus ad hunc ipsum scopum ducunt. In his ipsis difficultatibus superandis adest aliquid, quod animi quietem turbat, minimum quam diu superatae non sunt, optata felicitate non fruimur. Vnde qui vere felicitatem desiderat, iis utatur mediis necesse est, quae facillime certissimeque ad eam ducunt: Talia autem sunt media ordinaria. Ergo prudentia mediis ordinariis primum locum assignat. Quod primum est propositionis nostrae membrum. Porro iustitia, quae nostram conseruationem

nem nobis iniungit, ita eam nobis praecipit, ut ob *conservationem nostri ipsius*, quantum *humana prudentia* evitari potest, nil in *praeiudicium tertii* fiat, aut ullo modo *iustitia externa* violetur: Sed *media extraordinaria* haut raro tendunt in *praeiudicium tertii*, vel ea in se continent, quae aliquantulum a *iustitia externa* declinant, aut eius leges inflectunt, turbant, minuunt. Ergo *media extraordinaria* *salva iustitia* adhiberi non possunt, ubi *ordinaria* suppetunt. Quod alterum *propositionis nostrae* membrum est.

SCHOLIION.

Qui exempla huiusmodi *rationis belli* in *praeiudicium tertii* tendentis desiderat, in *parte speciali* modo percurrat doctrinam de eo, quod in *solo pacato*, (vulgo dicitur *Neutralitäts-Land*.) *licitum esse* dicitur.

§. XXXXI.

Omnis ratio belli consistit in *usu mediorum extraordinariorum & subsidiariorum*. (§. 21.) Vnde cum & *prudentia & iustitia* *usum mediorum extraordinariorum & subsidiariorum* neget, quam diu *media ordinaria* in promptu sunt: (§. 40.) *Ratio belli* nulla est, si *mediis ordinariis finis belli, ultimus* (§. 13.) praecipue, obtineri potest.

§. XXXXII.

Finis belli ultimus pax est. (§. 13.) Vnde qui in *pace stabili, segura, perpetua sine bello* vivere possunt, *iis nullum bella movendi ius* competit. Quare si postea *belli aleam* subeunt, *ratio belli* *ipsis* non patrocinator. (§. 38.)

SCHOLIION.

Item ob *paritatem rationis* de *iis esse* dicendum, quibus, quae *damnum* dedit, *gens seria poenitentia factaeque iniuriae sensu tacta* illud *nox* refarcit, nemo non videt. conf. §. 39. Schol. i. *circa finem*.

§. XXXXIII.

§. XXXXIII.

Ad *media in bello ordinaria* pertinet omnis ratio nocendi hosti in oppugnationibus vrbiū, praelio aperto, excursionibus, vastationibusue agrorum: *usus* itidem armorum (§. II.) quibus ex consuetudine inter liberos populos recepta & propter diuturnos mores nulla amplius *iniquitatis nota* adhaeret; nec minus omnis modus, qui ad frangendas debilitandasque vires hostium, iuraque nostra tuenda defendendaque, vel vi aperta, vel dolo & fraude citra alterius cuiuspiam, qui inimicus noster non est, laesionem, quin immo saluis erga ipsum hostem legibus iusti, humanitatis, misericordiae, & decori inter gentes recepti adhibetur; adeoque etiam ius occidendi hostem, aliaque mala, quae caede minora sunt, ei infligendi (§. 16.) ad *media in bello ordinaria* pertinet: *Usus* vero armorum, a quibus non quidem ipsa recta ratio, sed inueterata apud populos persuasio abhorrere creditur, quale quid intuitu armorum venenatorum obtinere dicunt, ad *media extraordinaria agendi in bello* referendus erit: quemadmodum porro omnis modus nocendi hosti per sicarios & percussores, omnis ratio contra eum nosmet defendendi, eiusue vim arcendi cum damno tertii innocentis, (siue is amicus noster sit & foederatus, siue partibus neutrius addictus, & solus belli spectator,) coniuncta *mediis extraordinariis* adscribi debet. Vnde cum Bellatores ipsam rationem gerendi bella quibusdam ritibus & consuetudinibus voluntariis adscripserint, §. 23. Schol.) ex eorum iam iudicio in multis quaestionibus pendere videtur, utrum quis *mediis his* siue ordinariis siue *extraordinariis* licite usus sit, id est utrum ex vera ratione belli egerit, nec ne?

§. XXXXIV.

Atque hinc ratio agendi in bello mox in facultate consistit, id est, in iure proprie sic dicto: mox in aptitudine, id est, in mo-

in modo agendi insolito quidem, interim tamen non prorsus illicito ac reprobato. Et quod ad facultatem attinet, in ea tunc consistit, quando alteri ita agendi ius perfectum tribuit: sic ut non solum is citra notam iniustitiae agat, verum etiam nihil egisse videatur, quod moribus belli contrarium censetur; In aptitudine autem, quando ius agendi imperfectum adest, quod solum innuit faciendi potentiam, id est, convenientiam qualemcumque facti cum actionibus in se non statim & iuxta naturalia dictamina legis nobis connatae reprobatis, licet reprobentur ab iis, quibus mores & consuetudines bellicae pro certa & perpetua norma ac regula agendi in bello habentur.

SCHOLIUM.

Ratio differentiae in eo consistit, quod ex facultate in bello agere non modo nulli iniquum censetur, verum etiam laudetur probeturque ab aliis populis, quibus caeteroquin actiones suas et aliorum ad aliquod ius gentium arbitrarium rigore referre mos est; quae vero ex mera aptitudine sunt, iniqua quidem prima fronte videantur, excusentur tamen ab iis, qui magis ad amissionem rectae rationis, quam mores consuetudinesque meras examinare solent cuncta, quae ob singularem fauorem necessitatis iuris nostri defendendi ac nosmet ipsos conservandi causa a nobis iniunctis quasi et coactis fieri debent. Unde postea agentes ex huiusmodi aptitudine venia omnino digni censentur. Causa autem differentiae huius exinde nata videtur, quod in facultate revera unius quaedam moralis rei, quae ipsi est cum illo ipso fine, quem iustum belli finem dicimus, atque hinc nata praecatio moralis mediorum ad hunc finem licitorum, inter se quoad usum et observantiam populorum aequalium, quoad utilitatem vero differentium, propter peculiarem connexionem, quam res ad finem hunc habet, ita disposita et instituta comprehenditur: contra in aptitudine nihil tale occurrit, ex quo necessarium sit, ut tale factum propter utilitatem agentis probetur. Quia in qua re perpetrata aliquis venia et excusatione dignus est, illa non continuo etiam praecationem quamdam habet, ut necessarium sit, fieri illud propter utilitatem, quae inde in agentes redundat. Nam si vel maxime tale quid omittetur, non tam ius omittentis, quod non habet, laesum dici potest, quam ipsum neglexisse ea, quae salva natura sociali facere et perpetrare poterat. In tractatione speciali sapientius nobis ad hanc philosophiam erit prouocandum.

F

§. XXXXV.

§. XXXV.

Atque hinc si quis vno oculo coniuncta cernere auet, quae rationis belli requisita sint, facile patebit, pertinere huc (1.) vt bellum iustum geratur, (§. 38.) (2.) vt qui ad rationem belli confugit, prius instituta deliberatione certus sit, & moraliter conuictus, necessitatem illam, ob quam solum tale excusatur facinus (§§. 26. & 30.) vere imminere, (§. 29.) nec (3.) illud, quod ex ratione belli fit, ultra necessitatem fieri (§. 34.) vel (4.) turpe factum morale in se continere; (§. 33.) (5.) damnum, quod hosti inferre vult, vere vires eius atterere posse, adeoque medium hoc ad finem belli vel ultimum, vel intermedium obtinendum non solum aliquid collaturum esse, (§. 25. Schol.) verum etiam (6.) alia media ordinaria vel declinandi, vel conficiendi bellum nulla subesse (§§. 41. & 42.)

SCHOLIION.

Erunt forte, qui vellent, addi his requisitis, vt ad ductum §. 28. inter extraordinaria haec media hoc vnum non solum ad finem belli ducat, verum etiam tutissimum, expeditissimum vel efficacissimum sit. Ast vti difficile est iudicare, vtrum ille, qui ex ratione belli hoc vel illud egisse dicitur, alium agendi modum, minus violentum, aequè notum tamen facilem ac certum perspexerit nullum (dict. §. 28.) ita hoc magis agentis conscientiae, quam tertii cuiusvis iudicantis perspicaciae reliquendum arbitramur. Cumque Iuris naturalis interpretes eum indifuncte ab omni vsu extraordinariorum mediorum, quae ob necessitatem licita sunt, non excludant, qui ipsemet proprio suo iumento malum sibi accersit, (quod ex exemplo §. 3. allato patet,) sic posteaquam sententiam nostram de eo, qui bellum iniustum mouet, iam in medium protulimus, (§§. 38. et 42.) amplius praecise necesse non putamus, vt a parte eius, qui rationem belli sequitur, illud exigamus, ne ipsemet culpa sua in causa sit, cur in tali versetur necessitate. Neque enim ille v. g. ius occupandi fortaliticium in loco pacato amittit, qui rei militaris aut locorum imperitia vel imprudentia sua, oscitantia ac negligentia in eas redactus est angustias, e quibus sine hocce ultimo necessitatis telo, ex quo tamen tertio innocenti graue damnum imminet, elabi non potest, praecipue

cipue cum inter gentes liberis iudex adfit nullus; (§. 9.) qui litem tam arduam dirimat.

§. XXXXVI.

Cum in bello *finis particularis* sit, vt vel *vi aperta* vel *dolo* (§. 10.) *res hostis ad nocendum nobis minuamus*, *nostras contra ad ius nostrum consequendum augeamus* (§. 13.) mirari non debemus, quando bello hostibus denunciato a summa potestate, cuius auspiciis bellum geritur, regulariter cuius ex populo *facultatem publice dari* cernimus, vt *hostem* & *in persona* & *in rebus suis laedere impune possit*: sicuti id tam ex veterum formulis apud BRISSONIVM *de formul. Pop. Rom. L. IV. p. m. 341.* quam ex recentioribus *clarigationibus* probari posset, dummodo de eo dubitare quempiam suspicari mur. GROTIUS *de I. B. & P. L. III. c. 3. §. 7. & 9.* Ast quia vaga huiusmodi & legibus nullis circumscripta *hosti nocendi licentia* facile in ipsius ciuitatis bellum gerentis perniciem degenerare posset, *generalem huiusmodi loquendi modum moribus populorum ita temperatum* nouimus, vt in *facultate nocendi hostibus data termini habiles* positi deprehendantur. Vnde licet in *abstracto verum* sit quod docet GROTIUS *de I. B. & P. L. III. c. 18. §. 1. n. 3. & L. III. c. 4. §. 5.* *sicut rem hostilem cuiuslibet occupare licet, ita & hostem occidere unicuique iure Gentium integrum esse*; solet tamen a summa potestate subditorum libido coërceri, & seueris legibus domi publicatis edici, ne quis *extra casum defensionis legitimæ* libere & *pro priuato suo arbitrio* manus cum hoste conferat. Quare etiam haec verba in *clarigationibus* legantur, concedi tamen nobis postulamus: *ius armorum*, (nisi praecise subditis noua lege verbisque significantioribus facultas aduersus hostem in pugnas tam publicas, quam priuatas prouendi concessa sit,) *in bello competere nemini, nisi qui iussu ciuitatis publico armis instructus fuit, immo hoc ipso casu*

salua disciplina publica debere exerceri. Nam, vt recte PVFENDORFF de I. N. & G. L. VIII. c. 6. §. 21. ait, & haec est pars iuris belli, designare, quinam hosti nocere debeant, & quo usque.

§. XXXXVII.

Personas has iussu ciuitatis publico eum in finem armis (§. II.) instructas, (§. 46.) vt iis, tamquam instrumentis, ad iuris nostri defensionem hostiumque oppugnationem terrarumque vtamur, milites dicimus. Eas vero personas, quae publicae potestatis mandato ad naues hostium persequendas occupandasque, piraticamque secundum leges belli faciendam, delegantur, communi vocabulo Praedatores, Capers s. Armateurs nominare solemus.

SCHOLIION.

De his praedatoribus ad piraticam faciendam mandato publico instructis pauca ap. IOH. LOCCENIVM de Iur. Marit. L. II. c. 3. §. 4. MARTIN. SCHOORIVM de Imper. mar. c. 23. et, qui primo loco nominari debuisset, quoniam in iure naturali et gentium tradendo haecenus se superiorem habuit neminem, GROTIUM de I. B. et P. L. II. c. 20. §. 14. inuenire licet; plene autem, et pro dignitate argumentum hoc tractatum esse non memini.

§. XXXXVIII.

Licet autem tam milites, quam praedatores ad exercendam piraticam codicillis reipublicae muniti ii ipsi sint, quibus tamquam instrumentis ad nocendum hostibus vtimur; (§. 47.) tamen cum nec illis ius armorum in bello aliter competat, quam salua disciplina militari (§. 46.) id est, prouti id a summa potestate ipsis est concessum: illud adhuc prioribus monitis (§. 45.) colophonis loco addendum est, quod, qui praesumunt licite se ob rationem belli hosti nocuisse, eaque ipsa excusatione siue in foro humano, siue in foro conscientiae tuti esse volunt, aliud agere non debeant, quam quod

quod ex disciplina militari, iussuque & auctoritate illius, pones quem in castris imperium est, agere tenentur.

SCHOLI ON.

Vnde aliter agentes non solum domi gratis manet poena, ceu etiam ex nostro *lare Militari art. 100. et 105.* patet, ubi militi iniussa sui Centurionis vel Archistrategi cum hoste pugnandi causa e castris abeunt, poena capitalis dicitur; verum ubi in hostium potestatem forte veniunt, non ut captivi in bello humaniter excipi, sed ut latrones et sicarii haberi solent EVERH. REIDANVS in *annal. Belgic. L. IV. ad A. 1605.* DIONYSIO VOSSIO interprete narrat, Verdugum per litteras Nassouium misisse, quandoquidem saepe exiguo numero nocteque intempesta in Frisiam se milites eius diffunderent sola quaestus spe ex abductis agrisibus, aut raptus e curribus nauigiisque iter facientium, omnes, qui in manus venissent, PRAEDONVM LOCO se habiturum, caeteris, qui in praeliis aut expeditionibus capti, BELLI IVRA, et redimendi ius seruaturum fore. Ac in tractatu Basiliae d. 2. Maii 1692. inter Caesarem et Regem Galliae in *art. 55.* stipulatos fuisse paciscentes nouimus: Den Generalen, Gouvernatoren oder Commandanten der Plätze soll nicht zugelassen seyn einigen Troupen Paß zu ertheilen, auf Parthey gegen einander auszugehen, wann sie unter der Zahl 19. zu Fuß, oder 15. zu Pferd ohne deren Officier seyn, und wann man einige mit gewöhrter Hand gefangen bekäme, so sollen sie als Räuber gehalten seyn, - - und nach ihrer Missethat denen Rechten nach abgestraft werden; et mox *art. 56.* cautum: daß die zusammen gerottete Bauern, gemeiniglich Schnapphabnen, so ohne Paß der Gouverneurs, Commandanten oder Generalen gefangen werden, für Räuber und Mäuser gehalten werden sollen.

§. XXXXIX.

Et haec in genere de ratione belli dicta sufficiant. Quae enim in singulis casibus dicenda forent, commodius in *tractatione speciali*, quae hanc ipsam, si DEVS, a cuius nutu nostra pendent omnia, vitam & vires concesserit, propediem excipiet, exponi poterunt. Substituimus igitur heic, vnum hoc rogati LECTOREM HVMANISSIMVM, vt nos saeculo hoc ad decempedam Mathematicam scripturiente omnia excusatos habeat, si minutias illas, quas homines hi, qui obrorto collo Euclidean methodum omnibus disciplinis applicant,

tam sollicitè sectantur, neglectas a nobis deprehenderit: data enim opera, eaque intentione, ut pro modulo ingenii nostri *exemplum qualecumque* praebeamus, quantum a *nimio loquentiae fluxu temperandum*, & quam breviori *compendio ad sapientiam contendendum sit*, id factum esse non dissimulamus. Quippe in ea iam pridem haeresi constituti sumus, ut hanc ipsam *methodum, disciplinis theoreticis* solique acumini ingenii perpoliando aptis convenientissimam aptissimamque, in *practicis* non tam adhiberi non posse, quam adhiberi non debere crediderimus. Cum enim in his *flecti voluntas ab eo quod iustum & bonum est nimium reclinans* debeat, piperata potius doctrina petitisque ab omni antiquitate *exemplis deficientem* excitare appetentiam fas erit, quam *dissectis in infinitas partes minutissimas veritatibus*, quas sine laboriosa hac industria & pueri facillime opera intelligerent inuenirentque, omnem propemodum vim veritatis infringere. Nam *sapientis est*, ut praeclare monet ARISTOT. in *princ. Ethic. eatenus exactam in unoquoque genere explicationem requirere*, quatenus pati rei ipsius natura potest. Iam vero in *moralibus multa sunt, quae si probare tentes, obscaures; certe demonstrares frustra, demonstrata quae sunt*. Quod autem restat DEVM O. M. animitus precamur, UT IPSEM ET DISSIPET GENTES, QVAE BELLA VOLVNT.

Psalm. LXVIII, 31.

F I N I S





Kopenhagen, Diss., 1680-1790

ULB Halle
004 165 500



3

f
56.







D. CHRIST. LVDOV. SCHEIDII

S. R. M. CONSIL. IVSTIT. ET PROF. PVBL. ORDIN.
IN ACADEMIA HAFNIENSI

COMMENTATIO

DE

RATIONE BELLII

SEV VT A GALLIS DICI SOLET

RAISON DE GUERRE

EX IVRE ET MORIBVS

GENTIVM.



FRANCOFVRTI ET LIPSIAE
APVD FRIDER. DANIEL. KNOCHII VIDVAM
ET IO. GEORGIVM ESSLINGER.
M DCC XXXIX.